DE MORTIS
APVD VETERES FIGVRA.

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI

PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE III MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXVI

PVBLICE DEFENDET

IVLIVS LESSING
SEDINENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

LVDOVICVS WENIGER
ERNESTVS DROYSEN
HERMANNVS HEVBNER

BONNAE
TYPIS FRIDERICI KRVEGERI.

FRIDERICO THEOPHILO WELCKERO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

OFFERT

SCRIPTOR.

In Mortis figuram postquam Lessingius clarissimo illo opusculo quod inscribitur: 'Wie die Alten den Tod gebildet[1]),' primus plene et accurate inquisivit, virorum qui in veteris artis monumentis explicandis praecipuum locum tenent eandem tot tantique retractaverunt quaestionem, neque ullus fere extitit quin oblata occasione suam de hac re sententiam ferret.

Neque est, quod miremur. Nam quum in veterum quae supersunt monumentorum numero tot inveniantur, quae notiones quasdam, quas nos animo tantum concipere possumus, humana figura indutas exhibeant: magni intererat ut Mortis figura, quae sola fere praeter nonnullas Christianae mythologiae notiones hac humani corporis specie etiam apud nos fingeretur, qualis apud veteres fuerit quaereretur.

Atque primum acciderat ut neglecta temporum differentia quod eandem haberet speciem, idem esse censeretur. Quum igitur maiores nostri corpora nudis ossibus cohaerentia ad Mortem repraesentandam adhibere solerent, ex sceletis monumentis passim repertis eiusdem apud veteres usus satis firma indicia patere illis videbantur. Quae omnia, quum acerrimo iudicio a Lessingio refutata sint, acta habere liceat[2]).

De Winckelmanni quoque sententia satis erit Lessingium laudasse neque magnopere dissentire videtur.

Ipse vero L e s s i n g i u s a Mortis atque Somni similitudine veterum scriptis relata profectus, cum inscriptionis cuiusdam testimonis usus puerum dormientem haud

---

1) Berlin 176. ed. Lachm. VIII 210 sqq.

2) De sceletis satis accurate egit: Olfers ein Grab in Cumae Berol. 1831. — Limburg-Brouwers histoire de la civilisat. des Grecs VI 128.

raro repraesentatum eumque saepissime alitem, semper faci eversae innixum Somni genuinam imaginem esse non dubitaret, eandem Morti arrogavit speciem, duplicesque illos pueros alatos facibus eversis innixos Mortem et Somnum esse voluit. Qua in re quin erraverit iam dubium esse nequit. Perpauca enim ille cognita habuit monumenta eaque pessime delineata, unde accidit ut figuris a rudibus opificibus sine ratione duplicatis nimiam vim tribueret. Eodem pacto fieri potuit ut ex secundi et tertii post Chr. nat. saeculorum monumentis totius antiquitatis sententias eruere atque illustrare conaretur. Vera quidem Lessingius non invenit, quaerendi tamen perlucida ratione de artium studiis optime ad hunc diem meruit. Post Lessingium autem puerulus ille non solum viris ex professo in veterum arte explicanda versantibus uberrimum disputationum factum est argumentum, sed etiam quum Lessingii libellus ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodatus esset, poetis atque artificibus saepe ad antiquae et quae nunc est artis discrimina demonstranda aptissimum visum est exemplum.

Sed dum in pueruli alati illius vim subtiliter inquirebant, paene submota erat summa de Mortis imagine quaestio. Neque quisquam fere usque ad hunc diem extitit qui hoc tenendum esse contenderet: in quaestione de Mortis apud veteres imagine tractanda non de una tantum sed pro temporum et gentium discrimine de pluribus forsan figuris rem geri, nemo fere, qui veterum testimonia pro temporum et gentium discrimine disposita quaestionis de hac ipsa re accurate instituendae fundamenta iecerit.

Etenim quum a Lessingio hoc quaereretur, num eadem figura veteres qua nos Mortem finxissent, ea in medio relinquebatur quaestio: finxissentne omnino veteres Mortem, an quo pacto finxissent. Quae ut probarentur certa e veterum scriptis monumentisque argumenta afferenda erant.

Haud ignoro me neque dubitationem de hac re novam movere neque ineditorum afferre posse monumentorum testimonia. Acquieverunt quidem in pueris alatis illis contemplandis et Herderus [1]) et Viscontius, neque plura ipse Zoega attulit, quamquam adnotatione quadam [2]) satis declaravit se funditus ut alia omnia etiam hanc quaestionem perspexisse. Quae si uberius explicare ei placuisset, multi ex eo tempore errores praecisi essent.

Conferas etiam Gerhardium [3]).

Non multo copiosius Welckerus [4]) hanc quaestionem attigit cuius sententiam infra proponam.

Attamen unus extitit qui de integro quaestionem tractaret, Radulphus Rochettus qui in monumentorum ineditorum tom. I pg. 210 sq. maximo cum apparatu doctrinae non solum materiam congessit sed etiam primus in hac re Graecorum monumenta a Romanorum discernere et suo quaeque loco disponere instituit. Utinam eodem in discernendis litterarum monumentis iudicio uti ei placuisset. Sed mira quadam negligentia decem saeculorum testimonia confudit atque perturbavit, quemlibet auctorem ad quaslibet res comprobandas adhibuit, temporum atque gentium discrimina prorsus pro nihilo habuit. Rectam quidem viam ingressus nihil fere tamen certi assecutus est. Intellexit enim primum esse demonstrandum: fuisse Mortis imaginem apud veteres, cuius rei quae esse putabat testimonia multa attulit, examinavit nullum. Ideo quamquam singula magna doctrina tractavit, neque summam eius sententiam approbare neque disponendae materiae rationem sequi possumus.

Quare etsi vel tiro ad gravissimam quaestionem tractandam accedens non prorsus expers sum timoris, ne difficiliorem rem temere susceperim; non frustra tamen me

1) 'Wie die Alten den Tod gebildet' zerstreut. Bl. II 287 sq.

2) bassiril. I pg. 65. not. 15.

3) Mythol. §. 571.

4) Goetterlehre III 101.

acturum esse spero, si pro temporum ordine deinceps locos, unde eruantur argumenta, ex artis lege examinabo, et quibus occasionibus quae figura Thanati [1]) Graeci, Mortis Romanae in monumentis compareat quaeram Atque maiorem mihi peperisse laudem videbor, si in veritate indaganda ad eandem cum Zoega Welckero aliis viris doctissimis pervenero sententiam, quam si nova inauditaque allaturus essem.

Primum veterum loquendi cogitandique ratio cognoscenda, deinde ad cognitae normam monumenta examinanda sunt. — Non ignoro nos nonnunquam artis solius operibus de veterum moribus cogitandique ratione certiores fieri posse; sed tamen, quo Mortis figura a quoque populo repraesentatur, modus arctius cum tota populi indole coniunctus est, quam ut dubitare liceat, quin eiusdem iudicii notae etiam litteris expressae sint

Sunt certi scriptorum loci iterum iterumque repetiti quotiescunque quis Thanati figurae apud veteres usitatae testimonia afferre voluit, satisque idonei habiti sunt quibus confisus quamlibet quisque figuram Thanatum esse censeat. Inter quos locos iure nunquam Homeri praetermittitur narratio quae de Sarpedonis corpore a Thanato et Somno in patriam asportato in libro legitur sexto decimo. Datur hoc mandatum a Iove Apollini vv. 671—72:

πέμπε δέ μιν πομποῖσιν ἅμα κραιπνοῖσι φέρεσθαι,
ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν,

perficitur vv. 681—82 quo loco iisdem verbis utitur poeta. — Conferendus est Il. XIV 231:

ἔνθ᾽ ὕπνῳ ξύμβλητο, κασιγνήτῳ θανάτοιο.

Quae tandem illius Thanati est provincia? Sescenti alioquin occidunt et Graeci et Troes: Thanati dei ne semel quidem fit mentio

1) Venia sit vocabulo Graeco quia lingua latina masculini generis idoneum verbum nullum praebeat. Orci enim nomine, quo Hermannus in Alcestis praefatione utitur, vereor ne diversa confundantur.

Neque aliud apud Homerum occurrit numen mortiferum, cui uni semper interficiendi provincia data sit. Interdum Apollo[1]) et Diana[2]) mortis auctores habentur, haud scio an eis potissimum locis, quibus alius auctor nullus inveniri poterat; quae vero Harpyiarum[3]) fuerit natura poetam ipsum satis sibi exploratum habuisse ex versibus Od. XX 63 sq. perspicitur. Sunt procellae non interficientes sed abripientes itaque interdum exitum afferentes.

Keribus[4]) autem moriendi modos repraesentari Welckerus[5]) satis demonstravit: κῆρες ἐφεστᾶσι θανάτοιο μυρίαι. Itaque vocabulum κήρ non semper numinis nomen est. Figuris autem quibus apud Homerum[6]) et Hesiodum[7]) induuntur non universa earum naturà exprimitur, sed trucidationis, qua utroque loco occupatae esse narrantur, foedissima species Ceterum Keres apud veteres non sunt numina ex ipsorum arbitrio mortifera[8]), sed ex deorum voluntate mors hominibus aut vita evenit. Plutonem inferorum regem et Proserpinam uxorem iam apud Homerum extare, ignotos ei esse Charontem[9]), iudices, Orci portenta, ignotum etiam habendum esse Mercurium[10]) animarum ducem exponere non attinet.

Cur tum singulis numinibus ut Apollini et Dianae interimendi munus datum sit, tum deorum illa voluntas Ἄτη aut Μοῖρα nuncupata ipsaque in deorum numero

---

1) Od. III 279, VII 64, XVII 494. cf. Eustath. Il. 1171, 25.

2) Il. XXI 483: . . . ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν
Ζεὺς θῆκεν, καὶ ἔδωκε κατακτάμεν ἥν κ᾽ ἐθέλῃσθα.
Od V 123, XI 172, XV 478, XVIII 202, XX 60, Il. VI 428, XIX 59.

3) cf. Jahn. archaeol. Beitr. pg. 101 sq.

4) cf. Lange. Einleit. in d. Stud. d. gr. Mythol. pg. 127—133.

5) Goetterlehre I 708 sq. III 100.

6) Il. XVIII 535 sq.

7) Sc. Herc. 248 sq.

8) cf. Lange l. l. pg. 127.

9) Eustath. Od. 1666.

10) Schol. ad. Od. XXIV 1. cf. Naegelsbach homer. Theol. pg. 349.

habita eodem munere fungatur, id quoque hoc loco disserere meum non est. Multa ea de re attulit Naegelsbachius[1]). Hoc quidem dubium esse non potest quin neque Thanato ipsi neque alii certo numini legitima interimendi provincia eaque stabilis ab Homero tradita sit.

Singularis igitur est Sarpedonis ille Thanatus neque inepte appellatur a Naegelsbachio[2]) '*ein allegorisches Bild für den Zustand des Todtseins*'. Nec prorsus praetereunda est similis Eustathii sententia ad l. l. proposita:

ὁ Θάνατος μὲν αὐτὸν πέμπει διὰ τὸ τεθνάναι, Ὕπνος, δὲ διὰ τὸ εὐκλεῶς ταφῆναι, καὶ τῇ δόξῃ οἷον ζῆν ὡς ὑπνοῦντα καὶ τὸν τεθνεῶτα.

Poeta quoque ipse non omittenda nobis suppeditat indicia unde colligamus, cur his tantum locis Thanatus tamquam persona inducatur: utroque enim frater nominatur Somni. Etenim a perspicua mortui cuiusvis cum dormiente similitudine profectus facillime poeta unam Mortis imaginem animo informare potuit; moriendi autem ipsius genera diversiora erant quam quibus a Graecis unquam unus praefectus esset deus.[3])

Thanatus Somni nominatur frater, poeta tamen non tam certam eius quam Somni imaginem animo informatam habet. Melius igitur Thanatus ille comparetur cum aliis quibusdam numinibus, inter quae *Δεῖμος* et *Φόβος*,[4]) *Κυδοιμός*[5]), *Ἀλκή* et *Ἰωκή*[6]) sunt conspicua. Quorum *Δεῖμος* et *Φόβος* nunc equis Martis frena iniiciunt[7]),

1) l. l. p. 62.

2) l. l. pg. 112. cf. Welcker Goetterl. I 715.

3) Jahn: 'Die mythische Auffassung der Alten hat mehr Neigung zu zerspalten und zu individualisiren als zusammenzufassen.' Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1851 pg. 131.

4) Il. IV 440.

5) Il. XVIII 535, cf. V. 593.

6) Il. V 740.

7) Il. XV 119.

nunc in scuto alicuius habitant[1]), nunc dei filii nominantur. Il. XIII 299—300

τῷ δὲ φόβος φίλος υἱὸς ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβὴς
ἕσπετο ὅς τ' ἐφόβησε ταλάφρονά περ πολεμιστήν.

Nonne hi versus vocabuli φόβος explicatione ab ipso poeta addita optime demonstrant, Homerum poetam potius quam mythologum agere, cum servos esse vel filios δεῖμον et φόβον illos dicat? [2]) Non sunt dei, quales vulgus deos habebat: ficti sunt a poeta, neque ille obliviscitur ex suo ingenio illos esse procreatos. Voluntate carent, propterea tantum creantur ut rei quae geritur imago quaedam adumbretur. Velut Eris non procreat rixam, sed rixa Erim [3]) neque dea illa ceteris compar est, nam reliquis deis e Iovis iussu pugna decedentibus, Eris remanet [4]). Eadem ratione Thanati figura orta est, quae ne totam quidem vocis θάνατος notionem complectitur.

Varia fuerunt figurarum illarum fata, nam quum aliae, velut Eris, certiorem induerint formam, aliae, velut Δεῖμος et Φόβος, post Hesiodum [5]) vitam producere non potuerunt, aliae ut Ἀλκή et Ἰωκή apud unum Homerum inveniuntur. Quaeramus igitur quae Thanati fuerit sors.

Et primum quid Hesiodus de Thanato senserit explicandum est.

Si unus tantum Theogoniae locus qui vv. 758—766 continetur, superstes esset, haud dubie eodem modo atque nos Theogoniae poetam Thanatum finxisse crederemus. Aliis autem examinatis locis, varias esse poetae sententias probare earumque causas remotiores explorare conabor.

---

1) in Minervae Il. V 739, in Agamemnonis Il. XI 37.

2) cf. Nitzsch. Anm. z. Od. I pg. 178: 'Immer treffen wir die Phantasie noch selbst bei dem Geschäft unbegriffene dämonische Wirkungen zu eigenen Wesen zu gestalten.'

3) Il. IV 440 sq. XVIII 535.

4) Il. XI 74.

5) Theog. 934. Scut. Herc. 463.

Versibus 211—12

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον καὶ Κῆρα μέλαιναν
καὶ Θάνατον, τέκε δ' Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων[1])

Noctem Sortis Thanati Somni Somniorum aliorum matrem esse voluit. Quorum ex natura cur tali matri tribuantur facile perspicitur[2]). Haud secus ut gravissimum afferam exemplum, Rixas alteram bonam, malam alteram pro diversa natura diversarum matrum esse poeta voluit. Quorum malam ἐγείνατο Νὺξ ἐρεβεννή [3]).

Loco vero supra laudato licet et Thanatus et Somnus Noctis dicantur filii, minus arcte tamen quam ab Homero neque omnino arctius quam ceteri iunguntur. Nam cum priora tria nomina Μόρος Κήρ Θάνατος uni coniunctim subiungantur verbo ἔτεκε, Somnus altero illo τέκε atque particula δέ separatur potius a Thanato.

Quod autem Μόρον Κῆρα Θάνατον ita iunxit, luculento exemplo de poetae philosophia edocemur. Nam quum veterum fabularum vim reconditam raro intelligeret, tamquam philosophus novam sibi comparavit cosmogoniam. Qua in re saepius ita versatur, ut partim vulgaris orationis vocabulis usus viribus naturalibus deorum speciem attribuat, partim veterioris mythologiae vocabulis atque nominibus novam vim subiiciat, partim coniuncta utraque ratione veterioribus nominibus, quae neque satis idonea putat neque missa facere audet, vulgaris orationis vocabula addat [4]). Μόρος Κήρ Θάνατος notiones neque tamquam species genere aliquo continentur, neque alia eiusmodi ratio inter illos intercedit. Μόρος quidem et Κήρ nomina ut poetarum usu nota tristi Noctis proli adiungi oportebat, quum autem illae satis esse non viderentur, quibus Mortis vis cosmogonica repraesentaretur

---

1) Delet hunc versum Schoemannus opusc. II 443—44.

2) cf. Eurip. Cycl. v. 601 (ed. Nauck) σύ τ' ὦ μελαίνης Νυκτὸς ἐκπαίδευμ', Ὕπνε.

3) Opp. et dies. v. 17.

4) cf. Theog. vv. 131—33, 226—27.

Θάνατος philosophiae causa additus est. Multo sane gravior *Θάνατος* notionis vis esset, si remotis ceteris sola esset adhibita. Praeterea qui vel Thanatum, vel aliud numen, unum esse vel caedis vel mortis deum voluisset, nonne eum etiam (v. 228)

Ὑσμίνας τε Φόνους τε Μάχας τ' Ἀνδροκτασίας τε

certa ratione Thanato coniungere oportuit? Id vero minime fecit poeta. Nempe igitur nihil aliud ex versibus illis colligitur nisi hoc: poetam neque totam vocabulo *Θάνατος* concessisse significationem, neque certos proposuisse fines

At versu 756:

ἡ δ' Ὕπνον μετὰ χερσί, κασίγνητον Θανάτοιο
Νὺξ ὀλοή,

Hesiodus, quum Mortem Somni fratrem esse velit priorum poetarum exemplum videtur secutus esse. Hoc enim loco (vv. 748 sq.) ubi Diei et Noctis discrimina illustrantur, dubium esse nequit, quin ista nox nihil aliud sit nisi tempus, quod est a solis occasu usque ad ortum, optime igitur tali matri filius attribuitur Somnus. Qui cum Mortis frater nominari hoc quidem loco propter quaslibet rationes cosmogonicas non possit, e poetarum tantum consuetudine eo fratris nomine nuncupatur.

Quae vero ratio inter illos intercedere l. l. breviter tantum significatur, ea uberius atque ornatius exponitur vv. 758—766 [1]): 'Lenes sunt Somni mores et grati hominibus

τοῦ δὲ [Θανάτου] σιδηρέη μὲν κραδίη χάλκεον δέ οἱ ἦτορ
νηλεὲς ἐν στήθεσσιν ἔχει δ' ὃν πρῶτα λάβῃσιν
ἀνθρώπων ἐχθρὸς δὲ καὶ ἀθανάτοισιν θεοῖσιν.'

Ista certe Thanati imago ei quam nostri fingunt poetae atque artifices est simillima Atqui monendum est, non solum posterioribus usitatam non esse, sed ne ab Hesiodo ipso quidem alias inventum illud esse serva-

1) Gerhardius e ceteris hanc carminis partem secernere vult, Berl. Akad. 1856 pg. 123 et pg. 141 adn. 48.

tum. Iam supra dixi propter dormintis ac mortui litudinem Somnum atque Mortem fratres esse Homerum voluisse: inde Hesiodus quum vires naturales eos faceret, agendi quoque rationes comparavit, poetae igitur philosophi, non mythologi sunt versus illi supra allati.

Iam vidimus quonam pacto Thanatus cum aliis numinibus mortiferis iungatur; alii praeterea loci satis docent, poetae ad interitum hominibus inferendum Thanati auxilio opus non fuisse. Cuius rei insignia habeas exempla locos quibus singularum aetatum exitus describuntur: opp. et dies 116, 140, 154—55, 166. — cf. Scut. Her. 131. — Ubinam locis istis Thanatus deus?

An pluribus argumentis opus est demonstrare Hesiodi Thanatum neque inter Graecorum deos habendum esse neque certe a poeta figura indutum esse? — Forsan de re satis perspicua a me prolixius disputatum esse videatur, sed cavendum erat, ne ex illo Hesiodi loco de simili Thanati figura Hesiodo ac nobis usitata coniectura caperetur.

Omnino maximopere cavendum est, ne in monumentis enarrandis temere ad Hesiodi libros confugiatur. Mihi quidem inter philosophorum potius quam poetarum scripta Hesiodi habenda esse videntur. Ne Amoris exemplum afferam, nemo ignorat Coelo Terrae Nocti aliis id genus, quae in picturis et anaglyphis conspiciuntur, nihil fere quam nomen cum Hesiodi illis cosmogonicis commune esse Atque si quidem singulae inveniuntur similitudines, suo quaeque loco probe ponderanda est. Scilicet quo facilius nostratium notiones cum philosophorum potissimum veterum notionibus conciliari atque confundi possunt, eo cautius poetae philosophi verba ad artis opera enarranda adhibeamus necesse est.

Quum ex Theogoniae illis descriptionibus nihil certi erui posse putem, tum etiam illud quod d e i n o m e n alicui rei inditum est, magni momenti habere non possum. Graeci enim omnem fere rem quae hominum vim

superabat θεόν appellare non dubitabant. Probetur verbis Hesiodi op. et dies v. 764:

φήμη δ' ὅτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
λαοὶ φημίζουσι· θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.

Eurip. Helen. 560:

θεὸς γὰρ καὶ τὸ γιγνώσκειν φίλους

cf. praeterea Eurip. Orest. 399. Phoen. 596, 782 [1]). Quibus locis satis colligi potest, dei nomen argumentum esse non posse, quo, qui id acceperit, etiam ad deorum qui legitime dicuntur modum eaque figura indutum fuisse efficiamus.

Id ipsum tamen argumentum a Radulpho Rochetto magni ponderis habetur ad enarrandum inprimis Philoctetis Aeschylei fragmentum, quo probe ponderando ad reliquos Aeschyli locos huc pertinentes viam muniamus. Sunt enim haec verba (fr. 156. N.)

μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ
οὔτ' ἄν τι θύων οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις,
οὐδ' ἔστι βωμὸς οὐδὲ παιωνίζεται·
μόνου δὲ Πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.

Ni attinet doctrinae copia allata haec verba aut comprobare aut refutare, nam poetae sunt neque vero periegetae aut historici. Quorum quae vera sit vis optime ex Euripidis versibus intellegi potest, quibuscum ab Aristophane collata sunt. Dicit enim Euripides (Ran. 1391)

οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος

quem versum ex Antigone Euripidis depromptum sequebatur olim hic: (frgm. 170 N.)

καὶ βωμὸς αὐτῆς ἔστ' ἐν ἀνθρώπου φύσει.

Attamen Suadae arae, statuae, templa Euripidi profecto plura etiam cognita erant quam nobis, et haud pauca eius deae sacrorum testimonia Jahnius collegit [2]).

Euripidi Aeschylus verbis supra allatis respondet:

μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δορῶν ἐρᾷ

Bacchi autem quae sequuntur verba:

1) cf. Limburg-Brouwers l. l. v. 122 et 139.
2) Peitho. pg. 17.

θάνατον γὰρ εἰσέθηκε βαρύτατον κακῶν

nonne demonstrant Thanati dei nomen nonnisi poetice loquentis esse, ut quod a Baccho eodem temporis momento nil curetur.

Conferendum quoque Euripidis fragmentum 250:

οὐκ ἔστι Πενίας ἱερὸν αἰσχίστης θεοῦ.

Neque igitur de natura Thanati neque de sacris cultuque ex Aechyli illis versibus certi aliquid erui potest.

Alter Aeschyli locus afferendus est e Philocteta (fragm. 250 N.)

ὦ Θάνατε Παιάν, μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν
μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν
ἰατρός ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.

Fuerunt qui etiam hoc loco demonstrari putarent, Thanatum re vera deum mortiferum fuisse atque adeo quum verba non satis idonea atque plana esse viderentur Gargallo Grimaldius [1]) novam quandam vocabulo παιάν significationem supponere studuit; παιάν enim pro παίων '*percuotitore*' habendum esse voluit. Sed quum vel quod in sequenti versu legitur vocabulum ἰατρός quid velit παιάν, satis doceat, tum etiam Soph. Phil. v. 832 afferri potest, ubi Somnus παιάν appellatur. Non dubium est quin Παιάν, qui apud Homerum [2]) deorum medicus erat, Sophoclis aetate iam Aesculapio cesserit neque vocabulum παιάν sive παιών a vocabulo ἰατρός valde discrepet.[3])

In Sophoclis fabula Phil. v. 167. Neoptolemi hominis sunt verba:

οὐδέ τιν' αὐτῷ
παιῶνα κακῶν ἐπινωμᾶν

Aesculapii autem auxilium Philoctetae ab Hercule deo promittitur v. 1437.

1) Annal. del. Inst. XIX pg. 191. adnot. cf. Müller Dorer I 299.

2) Il. V 401 et 899. Od. IV 332. cf. Pind. Pyth. IV 481.

3) cf. frgm. Soph. 199. ἀλλ' ἴσθ' ὁ θάνατος λοῖσθος ἰατρὸς νόσου — cf. Hermann Wes. d. Myth. pg. 105.

Verba igitur Aeschylea illa ὦ Θάνατε παιάν summo doloris affectu tamquam extorta nimis premenda non sunt. Similia apud Sophoclem exstant de quibus infra agemus. Deusne sit mortifer qui vocabulo θάνατος invocetur an mors ipsa, eaque eodem modo quo nostri quoque poetae loquuntur, non est quod ambigamus, quum nullo alio Aeschyli loco Thanati dei apud morituros provincia sit. Sescenties vocabulo θάνατος poeta utitur, nusquam dei species apparet, sed vox illa nihil est nisi nomen quod dicimus appellativum.

Neque aliter apud Sophoclem res sese habet. Persimilis Aeschyleo locus conferendus est Philoct. vv. 797—98.

ὦ θάνατε, θάνατε πῶς ἀεὶ καλούμενος
οὕτω κατ' ἦμαρ οὐ δυνᾷ μολεῖν ποτε;

Hermannus et alii qui hoc loco minusculam adhibent litteram, cur in Aiacis loco maiuscula utantur, satis non perspicio. Sunt verba vv. 854—55.

ὦ Θάνατε, Θάνατε νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών·
καίτοι σὲ μὲν κἀκεῖ προσαυδήσω ξυνών.

Non fecissent opinor si prior tantum versus nobis traditus esset; altero sane Thanatus, quem Aiax tamquam in Orco versantem alloqui vult, maiorem vitae speciem adipisci videtur. Perdifficilis est quaestio utrum posterior orationis pars, quae ab his versibus initium capit, tota ab ipso Sophocle scripta sit an post eius mortem histrionum inventis interpolata sit.

Elegantissime ut solet Adolphus Schoellius [1]) huius orationis vitia ostendit, sanare ita studuit ut cum aliis duos illos versus exscinderet. Similiter iudicavit Gellius [2]). Quam fortiorem tractandi rationem sequi non audeo, tamen illud quidem demonstrare conabor, posteriorum hominum aliquem, quo flebiliorem argutioremque orationem

---

1) Sophocles deutsch. 4ts Bdch. Aiax pg. 60 ff.

2) Mnemosyne II pg. 206.

redderet, post priorem, versum, in quo *προσαυδᾶν* illud legitur, inseruisse.

Et primum quidem Aiax moriturus iam antea cum Sole collocutus est v. 845:

σὺ δ', ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν
Ἥλιε, —;

iam nimis multa se verba fecisse queritur vv. 852—53, nihilominus tamen non modo nunc Thanatum appellat, cuius partes antea (v. 832) Mercurius ceterique dei inferi rite susceperant, sed etiam iterum Solis mentionem promit, iterum currum eius biiugem esse memorat vv. 857—58:

καὶ τὸν διφρευτὴν Ἥλιον προσεννέπω
πανύστατον δὴ κ' οὔποτ' αὖθις ὕστερον.

Mirum certe! Neque mollis istorum verborum dulcedo et priorum acerbitas inter se concinunt. Accedit quod his ipsis verbis ut efficaci ad animos commovendos miseratione et communi loco poetae saepius usi esse videntur. Iidem enim fere extant in Eurip. Hec. vv. 411—12.[1])

Praeterea eadem contrariorum oppositione Aiax in ea quam libri exhibent oratione bis utitur; et in extrema quidem oratione (vv. 859—865) admirabili quadam cum acerbitate se nunc ultimis verbis terram coelumque compellasse, reliqua se Orci incolis narraturum esse dicit. Paullo vero antea (vv. 855—858) eadem contrariorum oppositio inepte credo atque frigide inculcata est. Et ipsa ea Solis et Orci oppositio ut argute et inepte iterum inferri posset, interpolator ille qua mortis prosopopoeia Sophoclem in priore versu usum esse vidit, eam insolentiore modo auxit. Ex his igitur verbis peti non possunt, argumenta quibus poetam certam Thanati figuram informatam habuisse probetur.

Eodem quidem loco sed non tam vocabulo *προσαυδᾶν*

1) Ex Alcestide ubi vv. 207—8 in codicibus leguntur submovit eos Valckenarius (ad Hippol. 682) cuius argumenta auxit Hermannus. (Alcestis Leipzig 1824 l. l.)

quam *ἐπίσκεψαι* usus est Welckerus ut Thanatum certas apud morituros partes egisse demonstraret haec verba faciens [1]) '*ὦ Θάνατε Θάνατε νῦν μ'ἐπίσκεψαι μολών*, *sollte man daher nicht übersetzen 'blicke mich an' sondern 'decke mich zu' als ob man sagte 'drücke mir die Augen zu'.* — Erat enim Graecorum mos, mortuorum capita cooperire. — Sed ego quidem v. cl. sententiae adstipulari non possum. Primum enim verisimile est insequentis versus verbum *προσαυδᾶν*, sive Sophoclis est sive interpolatoris, respondere verbo alicui quod et ipsum appropinquandi et conveniendi significationi sit coniunctum; gravius est quod pium illud amicorum officium *τὸ ἐπισκέπειν* a Thanato petere non Aiacis esset, quippe qui non lenem exitum expectaret, sed cruentae caedis imaginem sibi informare non vereretur cf. v. 834.

Alium Sophoclis locum quo uti solent ad hanc quaestionem iudicandam paucis absolvisse satis erit. Sunt verba quae de Nessi veneno leguntur Trach. v. 834.

ὃν τέκετο θάνατος, ἔτρεφε δ' αἰόλος δράκων

Perlucidum consimilis genealogiae exemplum extat Eurip. Troad. 766 sq.

ὦ Τυνδάρειον ἔρνος, οὔποτ'εἶ Διός,
πολλῶν δὲ πατέρων φημί σ' ἐκπεφυκέναι
Ἀλάστορος μὲν πρῶτον, εἶτα δὲ Φθόνου
Φόνου τε Θανάτου θ'ὅσα τε γῆ τρέφει κακά.

Comparandi sunt alii nonnulli loci quibus vocabulum *θάνατος* maiorem quam appellativam quae dicitur vim habere videatur. Leguntur Oed. Col. vv. 1213 sq. haec:

. . . . . ὁ δ' ἐπίκουρος
ἰσοτέλεστος,
Ἄϊδος ὅτε Μοῖρ' ἀνυμέναιος
ἄλυρος ἄχορος ἀναπέφηνε,
θάνατος ἐς τελευτάν.

Hic quoque Thanatus salutando appellatur *ἐπίκουρος*,

1) Academ. Kunstmus. p. 55 adn. 6.

ut iam antea *ἰατρός* et *παιάν*. His quoque verbis a poeta Thanatum deum habitum esse nemo affirmabit.

Gravior autem est locus Oed. Col. vv. 1557—78. ubi postquam Oedipus se moriturum esse dixit atque Mercurium Proserpinam Plutonem rite invocavit, chorus quoque inferorum deos implorat. Verecundia quadam commotus nomina non prodit, *τὰν ἀφανῆ θεόν, τὰς χθονίας θεάς, σῶμα τἀνικάτου θηρός* invocat, Plutonis tantum nomen nuncupat. Postremo filium Telluris et Tartari precatur ‘ ut Cerberum in pura via appropinquet ad inferas mortuorum oras accedenti hospiti ’ [1]): quem quum ambigua sit haec appellatio, clarius designat verbis:

σέ τοι κικλήσκω τὸν αἰένυπνον.

Quodsi hoc loco Thanati nomen omittens parentium nomine satis fere significare illum poeta sibi videtur, concludat aliquis, haud ignotum fuisse eorum parentium eum filium: tamen non dubito quin ipse Sophocles hoc loco genealogiae eius inventor extiterit, celare voluit ut aliorum ita Thanati nomen, cur eorum parentium proles dici potuerit, perspicuum est. Vel ipso eo genere Thanatus a poeta in virium naturalium numerum refertur quas figuras divinas habere non licet. Scilicet aliud est, si antiquissimis hominum religionibus vires illae naturales dei fiunt, aliud si posterioris aetatis poeta, mythologi rationem imitatus, genuini auctor mythi extitisse ne sibi quidem videtur. Ceterum Hesiodi atque Homeri sententia ex qua Noctis filius erat Thanatus ignota esse non potuit Sophocli. Quae uno hoc loco fingebat ea neque, religione sancita erant neque ipse in aliis operibus servabat. Uno hoc loco in deorum numerum Thanatum rettulit: si re vera semper deum eum habuisset, omnes ei loci, quibus poetarum modo dei ei speciem tribuit non tam incerta exhiberent Mortis epitheta. Accedit quod vel huius generis loci rari sunt, quod tantum non

---

1) Non de Cerberi genere agi recte demonstravit Hermannus ad hunc locum.

semper Mercurius et Pluto provinciam rite administrant, quod vocabulum *θάνατος* nihil nisi nomen appellativum est. Neque omittamus quod numero plurali poeta usus est de quo Ellendtius lex. Soph. s. v 1. et locos et interpretes commemorat.

Iam ad Euripidem transeamus. Qui quum in Alcestide fabula Thanatum personam in scaena spectandam exhiberet, locupletissima iis argumenta suppeditasse videtur qui Thanati figuram usitatam apud veteres fuisse contendunt. —

Prodit igitur in scaenam Thanatus. Quae tandem ei provincia? Sacerdotem eum esse inferorum poeta Apollinis verbis dicit vv. 24—27:

ἤδη δὲ τόνδε Θάνατον εἰσορῶ πέλας,
ἱερῆ[1]) *θανόντων, ὅς νιν εἰς Ἅιδου δόμους*
μέλλει κατάξειν· σύμμετρος δ' ἀφίκετο
φρουρῶν τόδ' ἦμαρ ᾧ θανεῖν αὐτὴν χρεών.

uberius et accuratius eadem declarantur Thanati verbis vv. 74—76

στείχω δ' ἐπ αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.[2])
ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν
ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.[3])

Quod iam priore loco dixit se domini iussa perficere etiam clarius intelligitur ex versu 49:

κτείνειν γ' ὃν ἂν χρῇ; τοῦτο γὰρ τετάγμεθα.

---

1) Furiae vocantur *ἐνέρων ἱερίαι* Eurip. Or. 260.
2) cf. Zahn schoenst. Wandgem. II tb. 61.
3) Insignis est huius loci imitatio Virgilii Aen. IV 698:
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.

Locum Virgilianum Euripideo confert Macrob. Saturn. V 19: 'in hac fabula in scaenam Orcus inducitur gladium gestans quo crines abscindat Alcestidis.' cf. Stat. silv. I 147: 'iam complexa manu crinem tenet infera Juno.'

Deorum inferorum gladius *κόπις* etiam in Soph. Antig. v. 602 coniectura legitur. Necessarium esse cum Hermanno negem.

Nihilominus tamen immutatis quasi Thanati partibus Hercules v. 843—44:

ἐλθὼν δ' ἄνακτα τὸν μελάμπεπλον νεκρῶν
Θάνατον φυλάξω,

et v. 1140:

μάχην συνάψας δαιμόνων τῷ κοιράνῳ.

Nonne mirandum est, eundem nunc sacerdotem appellari alius mandata perficientem, nunc mortuorum regem cui defunctos in lucem remittendi sit potestas? Sed plura etiam inveniemus quae inter se vehementer pugnent, ubi primum nonnulla alia examinaverimus.

Qua enim in tragoedia Thanatos ipse partes habet, illud certe exspectandum est apud ceteras personas eum aliquo saltem numero fore ac loco. Attamen ceteri omnes, excepto nimirum Apolline fabulam et personas exponente, omnino ignorant Thanati provinciam, immo Mercurius et Pluto, qui semper mortis dei habentur, habentur etiam ab huius fabulae personis, *θάνατος* vox iis est appellativa. Quam rem exemplis probare iuvat: In chori carmine vv. 435—44 invocantur Pluto et Charon 'sciant optimam eos abripuisse feminam', in altero vv. 743—44 Mercurius invocatur et Pluto et Proserpina. Thanati nulla fit mentio. Invocatur Apollo a choro vv. 223—25:

. . . . . . καὶ νῦν,
λυτήριος ἐκ θανάτου γενοῦ,
φόνιον δ' ἀπόπαυσον Ἅιδαν.

Ipso quo moritur Alcestis temporis momento Thanatus non adest. Eadem timore atque insania confecta, ubi iam ante oculos versantur Orci terrores, non Thanatum conspicere sibi videtur, sed Charontem et Plutonem. Neque Admetus Thanatum novisse videtur, nam vv. 870—71:

τοῖον ὅμηρόν μ' ἀποσυλήσας
Ἅιδῃ θάνατος παρέδωκεν,

ubi Monkius Hermannus alii *Θάνατος* scribebant, minus-

culam potius litteram adhibendam esse puto, etenim sedecim post versus v. 886 *εὐνὰς θανάτοις κεραϊζομένας* idem conqueritur. Cf. v. 274, v. 671 similes locos. — Quae dicendi ratio non alia habenda est atque Aeschyli et Sophoclis supra exposita. Neque ab aliis nisi a Proserpina et eiusdem coniuge mortuam se recuperare posse Admetus sperat vv. 357—362.

Satis superque demonstratum esse credo ex Admeti ceterarumque personarum sententiis Plutonem ceterosque Orci deos a Thanato e vetere ipsorum loco ac provincia submotos non esse: attamen postquam Hercules certaminibus feliciter peractis Alcestim marito reddidit interrogatusque, quo modo mortuam in lucem reduxisset, respondit:

μάχην συνάψας δαιμόνων τῷ κοιράνῳ (v. 1140)

statim intelligit Admetus de nullo alio nisi de Thanato locutum esse Herculem:

ποῦ τόνδε Θανάτῳ φῂς ἀγῶνα συμβαλεῖν;

Haud minus abrupte perpaucis tantum verbis de pugna, perpaucis de Alcestis silentio absolvitur, iam finis adest tragoediae. — Mira certe praeditus est Euripidis ille Admetus sagacitate! Non dubito quin quivis alius Plutonem esse *δαιμόνων τὸν κοίρανον* crediturus fuerit. Neque temere profecto.

Senserunt quidem discrepantiam illam omnes tragoediae editores, alii coniecturis locum emendare, alii novis explanationibus tradita verba vindicare conati sunt. Vereor ne operam perdiderint; id saltem teneam, omnibus quas attulerunt explanationibus discrepantiam non tolli. Et optimi quidem libri exhibent *δαιμόνων τῷ κοιράνῳ* neque aliam lectionem novisse videtur scholiasta haec adnotans *ἢ τῶν νεκρῶν κυρίῳ*. Deterioribus autem codicibus atque scholiastae verbis usus Matthiaeus *δαιμόνων τῷ κυρίῳ* lectionem recepit quam propterea Hermannus probat 'quia *νερτέρων κοίρανος* intelligatur *Ἅιδης*' (ita enim legi iussit Iacobsius animadv. p. 36)

quo vitio carere *δαιμόνων τῷ κυρίῳ* censuerunt et Matthiaeus et Hermannus. Explicat autem Matthiaeus: *δαιμόνι ἐκείνῳ ὅς κύριός ἐστι τούτου τοῦ ἀνάγειν τοὺς τεθνηκότας.* Sed ne his quidem verbis alius intelligi potest nisi Pluto, cum ipse Thanatos tribus locis prodat ab alio interimendi et sacrandi munus sibi esse mandatum. Hermannus contra explicat: '*δαιμόνων τῷ τοῦ ζῆν ἢ μὴ ζῆν κυρίῳ* inde illum qui sit intelligit Admetus'. Ut largiaris simplicibus illis verbis *δαιμόνων τῷ κυρίῳ* Hermannianum illud *τοῦ ζῆν ἢ μὴ ζῆν* supponi posse, quis tandem ille est? An Thanatus? Demonstravimus opinor Thanatum die stata se venisse profiteri fato destinatum [1]), neque igitur ad suum illum arbitrium agere posse. Haud secus scholiasta verba quid sibi velint nescire sese significat cuius sunt verba *τῷ τῶν θεῶν, ἢ τῷ τῶν νεκρῶν κυρίῳ, φασὶ γὰρ τοὺς νεκροὺς δαίμονας, ἢ τῷ ταύτης κυρίῳ.* Uberrimam nobis eligendi potestatem dedit, neque tamen video quo pacto intelligere possit Admetus hoc titulo designari Thanatum. Non potest non intelligere Plutonem. Euripides igitur, si quid video, dummodo fabulae finem imponeret, dubia illa verba similitudine veri neglecta ex fabulae consilio intelligenda curavit, itaque iustissimam Admeti atque spectatorum dubitationem, quonam tandem pacto Thanato combustos mortuos in lucem dimittendi fas esset, mira quadam audacia praecidit. Non uno illo loco apparet quam incerta sit Euripidea Thanati figura. Id quod accuratius mihi demonstrandum est, quoniam hoc ipso Thanato maxime nituntur veterum monumentorum interpretes.

Vidimus igitur Thanatum regis inferorum sibi arrogasse potentiam. Nonne etiam qui hostiarum sanguinem lambit (vv. 844—45 et 1142) ei hostiae sacrificatae esse

---

1) Addantur loci v. 147: *πεπρωμένη γὰρ ἡμέρα βιάζεται* et vv. 158—59: *ἐπεὶ γὰρ ᾔσθεθ' ἡμέραν τὴν κυρίαν ἥκουσαν, . .*

videntur? Aliis autem locis Pluto ipse Thanati subire officia videtur. Verum rationem illam qua Pluto apud Euripidem aliosque Graecorum scriptores ex parte saltem in Mortem mutatus est, infra universam illustrare conabor: hoc autem loco satis habebo in Alcestide fabula certam discrepantiae illius rationem ostendisse et ab emendatorum manu vindicasse.

Iam v. 13: *Ἅιδην τὸν παραυτίκ᾽ ἐκφυγεῖν*, *Ἅιδης* simpliciter significat 'mors.' Similiter v. 268 *πλησίον Ἅιδας* dicitur. Aliis autem locis Pluto non inferorum regis gravitatem sed rapacis numinis violentiam videtur prae se ferre, cf. v. 225: *φόνιον δ᾽ ἀπόπαυσον Ἅιδαν*. vv. 259—61:

ἄγει μ᾽ ἄγει μέ τις, οὐχ ὁρᾷς;
νεκύων ἐς αὐλὰν
ὑπ᾽ ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων πτερωτὸς Ἅιδας.

Perturbatissima ratio illa est in Herculis oratione. Dicit enim v. 843:

ἐλθὼν δ᾽ ἄνακτα τὸν μελάμπεμπλον νεκρῶν
Θάνατον φυλάξω,

„sin minus prospera res cessura est" v. 851:

. . . . . *εἶμι τῶν κάτω*
Κόρης ἄνακτός τ᾽ εἰς ἀνηλίους δόμους
αἰτήσομαί τε.

Uterque igitur appellatur *ἄναξ*, uterque mortuos reddendi habet potestatem. Quae gravissima sententiarum discrepantia aliunde nasci non potuit nisi ex confusione Thanati et Plutonis [1]).

Nihil sane obstat quominus Thanati figura et persona per sese spectata eodem iure in scaenam inducatur quo aliae figurae [2]) velut *Κράτος* et *Βία*, *Λύσσα*, *Οἶστρος*, *Μέθη*, *Ἀπάτη*, *Ὄκνος*, *Φθόνος* aliaeque quae partim in veterum

---

1) cf. Spanheim ad Callim. hymn. in Dian. 69, Müller Proleg. pg. 91, Ambrosch de Charonte Etrusco pg. 52.

2) cf. Welcker Goetterl. III 229.

fabularum reliquiis partim apud Pollucem (onomast. IV 141) extant; neque dubitandum est quin Aeschylus sive alius poetarum superiorum consentaneam atque tamquam vivam eius figuram inducturus fuerit. Euripidi vero id non contigit, quia ab eorum philosophorum disciplina erat quibus patrii dei nihil nisi vires naturales esse videbantur. Ipse igitur Pluto apud Euripidem Mors esse habetur, quamquam superiorum temporum religio, quae inferorum regem eum esse voluit, cum ceterarum fabularum copia atque cum poetarum loquendi usu arctius connexa atque implicata erat quam quae abiici posset a poeta, cui flos et color orationis tantopere cordi essent.

Quod prodit in scaenam Thanatus parvi momenti est; quaenam erat vis naturalis, quin Graecorum poetae occasione data producere possent? Maximi autem est momenti quod res suscepta male perfecta est Nam Mortis figura si modo ex ipsa populi alicuius religione propria specie instruitur, fieri non potest, quin perlucidissima eius evadat natura, quin certus ei in disciplina theogonica locus concedatur, quin pro ingenti cruentissimarum fabularum numero gravissimae ei deferantur partes Etenim mirandum est, quod quum nulla fere Graecorum fabula caede et sanguine careat, in hac una Thanatus ipse producitur. Causam quis afferre possit non ineptam: unam scilicet hanc esse fabulam in qua mors, eaque gravioris momenti, non vi aut certo casu efficiatur, sed incerto moriendi modo nil nisi quod moriatur in aperto sit, eodem igitur iure produci Thanatum quo Lyssam in Hercule furiente.

At quid tandem sibi vult pugna illa? Omnes enim id genus figurae nihil sunt nisi earum rerum quae eveniunt imagines, quibus quam manifestissime inopinatus ille et mirus casus spectatoribus ostendatur; ipsae autem figurae pro sua natura propria voluntate careant necesse est, neque igitur vinci possunt Patet igitur alius esse generis figuram Thanati Euripidei neque erraverim ex

vulgi aliqua fabula eam a poeta in scaenam translatam esse coniiciens, cuius rei afferam indicia.

Et primum quidem ab Euripide ipso Thanati figura inventa non est id quod Servius (ad Aen. IV 694) diserte testatur his verbis:

'alii dicunt Euripidem Orcum in scaenam inducere gladium ferentem quo crinem Alcesti abscindat, Euripidem hoc a Poenia antiquo tragico mutuatum'

Quo loco vocem ‚Poenia' O. Jahnius [1]) emendandam esse suspicatur scribendo ‚Phrynicho'. Phrynichum enim Alcestin fabulam scripsisse Hesychius auctor est s. v. *ἀθαμβές*, quo loco quae laudat ille verba [2])

σῶμα δ' ἀθαμβὲς γυιοδόνητον
τείρει

forsan iure viri docti ad pugnam illam Herculis et Thanati retulerunt [3]).

Haud abs re erit ad Antiphanis comici fragmentum [4]) quoddam ex Alcestide comoedia animum advertisse. Sunt enim haec verba:

. . . . ἐπὶ τὸ καινουργεῖν φέρου,
οὕτως, ἐκείνως, τοῦτο γιγνώσκων, ὅτι
ἓν καινὸν ἐγχείρημα, κἂν τολμηρὸν ᾖ,
πολλῶν παλαιῶν ἐστι χρησιμώτερον.

Quibus verbis utrum sive Hercules sive Admetus ad Alcestim nova quadam ratione recuperandam impellantur, quae Hermanni est sententia, an Hercules sese ipse exhortetur, ut Glumius censet, in medio relinquere

1) Rhein. Mus. n F. IX 625.

2) Nauck. trag. gr. fr. pg. 558.

3) Num Thespis Sophocles et Romani qui Graecos imitati sunt Laevius, Ennius, Attius in eis, quas Alcestis nomine inscripserunt fabulis Thanatum induxerint compertum non est neque igitur quodnam fuerit fabularum earum genus hoc loco quaerere attinet. cf. Hermann Alcest. praef. pg. XII sq. Glum de Eur. Alcest. dissert. Berol. 1836 pg. 22 sq. Welcker gr. Tragöd. I 344 sq.

4) Meineke fragm. com. I 496.

licet [1]. Illud tamen attendas quaeso quod Antiphaném, mediae quae dicitur comoediae poëtam, rationem, qua Alcestis in vitam vindicata est, ex tragoedia aliqua illudentem expressisse veri est simillimum; quod illudendi genus mediae comoediae poetis quam fuerit usitatum Meinekius [2] cum hoc ipso fragmento tum permultis aliis demonstravit. Quodsi Antiphanes ita potissimum pugnam illam quam apud tragicos Hercules cum Thanato conseruit, irrisisse videtur, pugna illa sive obsoletum aliquid sive novum atque inauditum habuerit necesse est. Et obsoletam potius fuisse inde concludas, quod iam apud Phrynichum illa pugnata est. Cum igitur sat vetustam fuisse fabulam illam videamus, tum ex Sisyphi rebus satis intelligitur, Thanati figuram in vulgi maxime fabulis [3] suas egisse partes et Sisyphi res uberrime a Pherecyde [4] narrantur. Sisypho, quia de Iove ad Asopum detulisset, Thanatum immissum esse, quem arbori alligavisset vir callidus ita ut nemo mori potuisset. Thanatum quidem a Marte liberatum, Sisyphum autem inferis traditum esse. Quum autem uxorem debita sacra facere vetuisset, a Proserpina irata eum impetrasse ut uxorem vi coacturus ad superos remitteretur. Postea non redeuntem longam vitam degisse sive — ut alii volunt vi reductum esse.

Cuius fabulae ea pars quae ad deceptum Thanatum atque vinctum pertinet, litterarum monumentis ni fallor mandata non est. Ne Theognis [5] quidem, qui Sisyphi astutiam singulas eius fraudes enarrans quam potest maxime effert, illius rei mentionem facit. Nec non Aeschy-

---

1) cf. Meineke l. l.

2) histor. com. graec. pg. 283.

3) cf. Aesop. fab. 90, 90b Halm: Senex vitae pertaesus Thanatum advocatum denuo fascem sibi imponere iubet.

4) Schol. Il. VI 153, cf. Eustath. Il. 631, 37, schol. Soph. Philoct. 621, Eustath. Od. 1701, 50, Preller gr. Mythol. II pg. 74 sq. — cf. Nitzsch Anmerk. z. Od. III 327.

5) Theogn. 703 ed. Welcker pg. 29 v. 504.

lus[1]) in Sisypho nonnisi Proserpina dolo decepta pro fabulae argumento usus est. Utrum autem Thanatus in Sisypho Euripidea, cuius fragmentum, nisi Critiae[2]) potius recensioni tribuendum est, laudatur a Sexto Empirico (adv. math. IX 54,) inductus fuerit necne in incerto est.

In universum vero iudicans haud scio an Pherecydes duplicem memoriae prodiderit fabulae formam, alteram ex earum quae a poetis et artificibus tractatae sunt fabularum copia, alteram ex vulgi potius traditione obsoleta repetitam. Qua igitur fraude poetae Proserpinam deceptam esse volebant, ea vulgus Thanatum vinctum[3]) esse narrabat, illud unum utrique narrationi idem subiectum est fundamentum, quod tantum astutia valuit Sisyphus ut ipsam mortem vincere posset.

Iam vero apparet simillime in Alcestis fatorum narrationibus duplicem fabulae rationem inveniri. Nam hic quoque Alcestis saepe a Proserpina neque vero a Thanato redditur. Quodsi in fabula Sisyphea Thanatus vulgi debetur ingenio, suspicari fas est ex eodem fonte haustum esse Thanatum Euripideum. Euripides enim ut in veterum mythorum locum haud raro philosophorum praecepta substituebat, ita quae vulgi superstitione ficta erant deorum numero immiscere non verebatur, velut ἀλάστορας illos qui quantopere Satanam quem dicimus referant Eduardus Muellerus[4]) subtiliter animadvertit.

Atque nescio an ipse ille quem Alcestis Euripidea obtinet dramatis satyrici locus poetae argumentum licentius tractandi ansam praebuerit.[5]) Quamquam recen-

1) Welcker, aeschyl. Tril. pg. 550 sq.

2) Nauck, trag. gr. frg. pg. 598. cf. Welcker, Trag. 1008.

3) Welckerus aesch. Tril pg. 552 persimilem Germanorum fabulam cum graeca illa contulit quae exstat apud Grimm: Kinder- und Hausmärch. I 421.

4) E. Mueller Euripid. deorum popular. contemt. dissert. Vratislav. 1826.

5) Quod autem Thanatus sanguinem bibit id cum Koechlyo (Prutz litter.-histor. Taschenb. 1847 pg. 381) ex hilariore fabulae

tioribus quidem temporibus, licet a vulgari superstitione multo magis sint aliena, saepius poetae id sibi sumpserunt, ut vel in tragoediis spectris partes agendas[1]) concederent, ne Shakespearium excitem, ante hos quinquaginta annos Grillparzeri fabula quae inscribitur 'Ahnfrau' summum tulit plausum.

Hanc vero fabulae formam Euripides unus excoluit, etsi ipsa Alcestis sors usque ad extrema Graecorum et Romanorum tempora a plurimis poetis atque artificibus tractata est.[2]) Et plerumque Herculis merita non omittuntur, sed a Proserpina Alcestin aeque atque Orpheus Euridicam accipit. Romanorum monumentis sepulcralibus[3]) Hercules aut accipiens illam repraesentatur aut manu ad lucem reducens, ita ut Alcestis ab Hercule reducta non minus quam Cerberus ab eodem inferis ereptus mortem vinci posse significet. Thanati tamen nullum

---

genere explicare atque Herculis lepori tribuere equidem dubito; dicit enim illud 'eine köstliche Vermuthung für einen Trinker von Profession.' Ego quidem de Necyiis Homeri potius cogitaverim indeque repetitum crediderim.

1) cf. Ambrosch. de Char. Etr. pg. 45.

2) Locos congesserunt Zoega bassiril. I pg. 201 sq. Welckerus Hermannus, Glumius ll. ll., Garucci les mystères du syncrétisme phryg. Paris 1845 pg. 27. cf. Petersen arch. Zeit. 1863 pg. 105 sq.

3) Hercules Alcestin a Proserpina accipit: in sarcophagis: Gerhard ant. Bildw. 28 cf. Zoega br. I 43, Mus. Chiar. III 13.

in pictura: Sepolcro dei Nasoni X (cf. Petersen l. l.)

a Mercurio traditur: Gerhard Kunstblatt 1826 pg. 234 in opere musivo Vatic. ex Cd. Pighian. in sarcoph. arch. Zeit. 1863 tab. 179, 1 et 2.

ad lucem reducitur in sarcophagis: Zoega br. I 201. cf. Gerh. Kunstbl. l. l. cf. Beger Hercules ex cod. Pighian. tb. 15. Carrara scavi di Salona VI 17. = Steinbüchel Wiener Jahrbüch. 1820. Anzgbl. pg. 8 no. 3. — Gall. di Fir. III sec. 4 tv. 153.

in pictura: Augusteum tv. 92.

Quam Prellerus commemorat (Ber. d. sächs. Ges. 1850 pg. 241) extantem apud Grimani invenire mihi non contigit.

De dubia repraesentatione huius fabulae cf. bullet. 1842 pg. 19. Petersen annali 1860 pg. 374.

apparet vestigium, pugna quoque ab huius generis monumentis aliena videtur esse.

Extat sane vas pictum,[1]) in quo Admetus et Alcestis postremum manus iungentes repraesentantur instantibus utrimque foedae speciei daemonibus; sed quum et artis genere et inscriptione Etruriae[2]) vindicetur et quam saepe Etrusci Graecorum fabularum figuris suae religionis figuras immiscuerint satis constet, vas illud ad hanc quaestionem nihil pertinet.

Praeter illam autem narrationis formam altera decantabatur ex quo mythologia cum ea quae est de bonis et malis philosophia contaminari coepta est. Alcestis enim insigne habebatur exemplum fidissimae uxoris atque virtutis praemium reditum Proserpina iubente tulisse dicebatur. Cuius narrationis praecipuus auctor est Plato in convivio.[3])

Apud posteriorum temporum scriptores eosque maxime, qui in hominum doctorum usum fabulas collegerunt, omnes narrationis formas traditas legimus; at quod Herculis pugna memoratur, inde formam Euripideam etiam vulgatam fuisse coniicere non licet, cum hominibus illis doctis Euripidis fabulam cognitam fuisse oporteat.

Illud vero maximopere attendamus necesse est, quod ubicumque pugnae illius fit mentio nusquam cum Thanato sed cum Plutone pugna fertur facta esse. Ne mihi Eudociam[4]) obiicias: illa enim cum praeter alias, quas

---

1) Dennis: The cities and cemetries of Etruria tm. II ante titulum. cf. Braun. annali 1847 pg. 81—88. de Witte arch. Anzeig. 1850 pg. 213.

2) Nonnulla alia Etruscorum monumenta ad Alcestis fabulam pertinentia enarravit Sozzius bullet. 1842 pg. 18 sq.

3) conv. 179B. cf. Seneca ad Helv. c. 17: 'nobilitatur carminibus omnium quae se pro coniuge vicariam dedit.' Lucian. dial. mort. 23. Etiam Begerus de Alcestide scripsit (1703) 'Alcestis, quam scripsit, quo maior Christianis mulieribus si bonae sint amoris fomes nascetur, sin malae rubor conscientiae exsurget.'

4) Villoison. anecd. gr. I pg. 20—21.

undecunque converrit narrationis formas, Euripideam quoque ita expresserit, ut singulas scaenas deinceps enumeret, quid mirum si Thanati quoque nomen exscripsit? Sed eadem illa aliunde haec exscripsit verba: Ἡρακλέους ἐπιδημήσαντος ἐν τῇ Θετταλίᾳ [Ἄλκηστις] διασώζεται βιασαμένου τοὺς χθονίους θεούς . . . .

Et de ipso Euripideo Thanato haec verba extant apud scholiastam Aristophanis[1]): Admetum cecinisse μέχρις ἂν ἡ κόρη ἀνέπεμψεν Ἄλκηστιν· ὡς δ' Εὐριπίδης, Ἅιδῃ μαχεσάμενος Ἡρακλῆς.

Et Lycophron[2]) quidem cum Plutone Herculem conflixisse vult:

> ἐξενάριξεν ὃν ποτ' ἀξίφῳ δόλῳ
> νέκυς τὸν Ἅιδην δεξιούμενον πάλαι.

Utramque formam, quarum altera Plutoni certaminis partes deferuntur, Apollodorus[3]) memoriae tradit: . . . ὡς δὲ ἔνιοι λέγουσιν, Ἡρακλῆς μαχεσάμενος Ἅιδῃ[4]).

Romani vero ubi ipsam, quae Euripidi Thanatus nuncupatur, personam memorant neque Mortis ei indunt nomen, quam deam Thanato comparem habebant, neque Leti: sed Orcum appellant.[5]) Quam aliena denique a Byzantinorum[6]) cognitionibus fuerit Euripidea illa Thanati figura, illud documento sit quod praeter Lascaris editionem vetustiores omnes Charontis nomen illi inditum exhibent[7]).

Cum igitur in aperto sit Euripidis Thanatum a

---

1) schol. Aristoph. Vesp. 1239.

2) Alexandr. vv. 50–51. In cod. Vind. I huic loco adscriptum est: ὁ Νέσσος τὸν Ἡρακλέα τὸν χειρωσάμενον τὸν Ἅιδην. cf. Eustath. ad Il. VIII 293 οὕτω καὶ τὸν Ἅιδην Λυκόφρονι etc.

3) biblioth. I 41, 15.

4) ex Hygini verbis (fab. 51) nihil colligi licet.

5) Macrob. Saturn. V 19. Serv. in Virg. Aen. IV 694.

6) Tzetzes quoque ad Lycophr. 51, qui aperte Euripideam ipsam enarrat fabulam, his verbis utitur . . καὶ ἐξελθόντος τοῦ Ἅιδου ἅψασθαι θυσιῶν . . . .

7) Monk. adnot. Alcest. v. 28.

Graecorum Romanorumque intelligentia abhorruisse, tum ipse Euripides in reliquis fabulis quotquot sunt Thanato ampliores partes quam ceteri poetae concedere dignatus non est. Sunt sane quibus graviorem vim vocabulo *θάνατος* inesse deprehendas velut Hipp. 1373:

καί μοι Θάνατος Παιὰν ἔλθοι

verum idem appellandi genus apud Sophoclem et Aeschylum inveniri supra vidimus.

Miror alium locum a Thanati patronis arreptum non esse: Medea 1109—1111:

εἰ δὲ κυρήσαι
δαίμων οὗτος, φροῦδος ἐς Ἅιδην
Θάνατος προφέρων σώματα τέκνων.

quo loco licet solito magis intumescat poetae oratio, non valet tamen ad reliquorum locorum vim infringendam.

Quodsi docuimus, Euripidi quamvis sollerti non contigisse, ut aut in ipsa Alcestide fabula certa Thanatum figura indueret, aut in reliquis fabulis eandem illi provinciam mandaret, non contigisse, ut in artis monumentis ad Alcestis sortem pertinentibus Thanatus repraesentaretur, non contigisse, ut quid vellet sibi ille posteriores intelligerent: concedendum est istum Thanatum ne potuisse quidem Graecorum mentibus ita inhaerere neque aliquam eius imaginem tam fuisse vulgatam, ut inde profecti in artis operibus qualibet figura a Thanati vi non prorsus abhorrente Thanatum repraesentari putaremus. Quamquam non est cur negemus, cuivis artifici non secus atque Euripidi Thanati figuram aliquam fingere licuisse, immo ex Euripideo Thanato tamquam exemplo coniicias licet, quali fere specie qualibusque insignibus illam fuerit instructurus. Sed cum Thanati Euripide insignia aliis quoque figuris tribui soleant, nihil obstat; quominus simillima illi figura aliam, dissimillima eandem vim habeat.

Quaerentes quonam pacto evenerit, ut mortis aliqua figura a Graecis nisi ex singulari consilio non fingeretur,

supra vidimus, superiorum quidem temporum ingenium diversissimos moriendi modos una forma complecti non valuisse, posterioribus autem qui deos vires naturales esse volebant, ubi Mortis figura opus erat, Plutone potuisse uti. Quamquam Prellero [1]) rapacem maxime Plutonem informanti ut qui terram pererrans homines ad inferos agat praecipites, equidem consentire nequeo. Vereor enim ne vir doctissimus singulis quibusdam epithetis, quas paullo posterioris aetatis scriptores hic illic usurpant, arreptis ad eius qua nos utimur Mortis figurae similitudinem veterum figuram accomodaverit. Nam ab antiquissimis usque ad postrema tempora Pluto mortuorum rex ipse summa gravitate insignis habebatur, ad quem mortuos ducendi provincia Mercurio mandata erat.

Eorum autem locorum quibus tamen Plutonem Thanati partes agentem tuearis, vetustate primum tenet locum Pindari Ol. IX vv. 50—52

. . . οὐδ' Ἀΐδας ἀκινήταν ἔχε ῥάβδον,
βρότεα σώμαθ' ᾇ κατάγει κοίλαν πρὸς ἀγυιὰν
θνασκόντων; [2])

Ceterum ne omittas pugnantes in hoc carmine deos repraesentatos esse suis quemque armis.

Plurimos id genus locos Monkius ad Eur. Alc. v. 13 congessit [3]), cuius fabulae qui huc pertinent versus ipse supra attuli.

Nec non in titulis sepulcralibus non raro verbis *ἥρπασε Ἅιδης* [4]) similibus mors significatur. Verum quid

1) Mythol. I 626. cf. Welcker Goetterl. I 395.

2) Pluto nominatur *μέγας Ἀγησίλαος* apud Callimach. lavacr. Pall. v. 130. cf. Spanheim. pg. 643—667, apud Aeschylum frgm. 398. cf. Welcker Goetterl. II 482.

3) Aesch. Ag. 667, Soph. Oed. Col. 1480, Eurip. Hipp. 1047, 1366, Iph. Taur. 486. Adde Eur. Bacch. 1157, Soph. frgm. 856 in quo opponitur *ἔστι μὲν Ἅιδης-ἔστι δ' ἄφθιτος βίος*. Similiter Lycophr. trg. frg. 5 pg. 637. v. 2: *Ἅιδης ποθεῖται* — v. 4: *τὸ ζῆν ποθοῦμεν*. cf. Antig. v. 581: *Ἅιδης τοῦ βίου*. Schol. Oed. Col. 1224. cf. Welcker Goetterl. II 483.

4) C. I. G. 1156, 1458 etc.

tale dicendi genus ad Plutonis imaginem illustrandam valeat documento sunt inscriptiones, quibus Μοῖρα[1]), δαίμων[2]), Κόρη[3]), quin etiam Λήθη[4]) rapacitatis incusantur.

Atque postremis temporibus Pluto et Thanatus non distinguuntur, velut ad Homeri verba (Il. IX 158) Ἀίδης ἀμείλιχος ἠδ᾽ ἀδάμαστος illustranda Aeschyleum illud μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ . . . οὐδ᾽ ἔστι βωμός . . . satis idoneum habetur.[5]) Prellerus vero quam Plutonis imaginem describit, eam ex singulari qua Pluto Proserpinam surripuisse traditur fabula mutuatus est; quae quod unum praesto fuit exemplum Plutonem tamquam rapacem repraesentaturis, id satis declarat rapacitatem illam in universam Plutonis indolem non cadere[6]).

Ceterum non rapacitatem maxime fabula illa significari volebant, sed saepissime ea sicut aliis utebantur, ut mortem in bonam partem interpretarentur defunctos tamquam vi amatoris, quam nemo defendere posset, abripi dicentes[7]). Quare non raro ipse Pluto iam ab Euripide arguta quadam ratione sponsus appellatur, cuius rei exempla afferre liceat:

Eur. Iph. Aul. v. 460

τὴν δ᾽ αὖ τάλαιναν παρθένον, τί παρθένον;
Ἅιδης νιν ὡς ἔοικε νυμφεύσει τάχα, . . .

similiter Or. 1109. Troad. 445. — Iph. Taur. 369:

---

1) C. I. G. 1066, 1152, 1499, 1973, 2237 etc.

2) ib. 710. αἶσα 1765. Ἐρεινύς 2415.

3) ib. 800 b. 2237 etc.

4) ib. 1966.

5) Schol. Il. IX. 158. Eustath. Il. pg. 744, 3. — Alia exempla congessit Limburg-Brouwers l. l. V pg. 57.

6) Notum est quoties fabula illa in Romanorum sarcophagis repraesentanta sit. cf. Welcker. Zeitschr. pg. 1 sqq. cf. Perret catacomb. de Rome I pl. 72: 'Vibiae abreptio.' — Garucci tre sepolcri Neap. 1852, = les mystères du syncrét. phryg. pg. 5, 19.

7) cf. Jahn. arch. Beitr. 110. Vasensamml. CII.

ᾍδης Ἀχιλλεὺς ἦν ἄρ', οὐχ ὁ Πηλέως,
ὅν μοι προτείνας πόσιν, ἐν ἁρμάτων μ' ὄχοις
εἰς αἱματηρὸν γάμον ἐπόρθμευσας δόλῳ.

cf. Soph. Antig. 1205.

Sat uberam similium locorum copiam et ex poetis et ex Romanorum monumentis sepulcralibus collegit Garruccius l. l. pg. 20 sq. Est etiam ubi caeremoniae nuptiales in morte et nuptiis comparandis memorentur:

Coniuge sum Cadmo fructa Scrateio,
Concordesque pari viximus ingenio.
Nunc data sum Diti longum mansura per aevum
Deducta et fatali igne et aqua [1]) Stygia [2]).

Iam sponte subit recordatio similitudinis quae inter haec veterum inventa, imprimis Euripideum illud ᾍδης Ἀχιλλεὺς ἦν ἄρ', οὐχ ὁ Πηλέως intercedit et medii aevi imagines quibus Mors repraesentatur nudis ossibus horrida sponsum ab ara depellens, sponsae annulo digitum induens, cunctantem abripiens. At hac ipsa in similitudine quam maxime cernitur dissimilitudo, etenim idem in medio aevo inventum est quo saevior Mortis vis conspiceretur, idem apud veteres quo in bonam partem verteretur malum inevitabile, licet argutias sectans poeta interdum saevius aliquid rursus insereret.

Verum postquam eis quae huc usque disputavi id efficere studui, in litterarum monumentis veram Thanati figuram non extare indeque Thanatum deum a veterum religione ac cultu alienum esse suspicatus sum, obstare

1) cf. Passeri luc. I pg. 46.

2) Non solum Thanati, sed postremo etiam hiemis partes Plutoni concedebant (cf. Lobeck. Aglaoph. pg. 460), quam ob rem monuerim, puerum illum subsidentem qui mortuorum quietem solet significare etiam ad hiemem repraesentandam semel esse adhibitum (Jahn Ber. d. sächs. Ges. III 169). — Vel a Noctis similitudine Plutonem (Soph. Trach. v. 501 ἔννυχος ᾍδης, Oed. rex v. 177 ἕσπερος θεός) non abhorruisse documento sit lucerna fictilis ubi inter Hesperum et Luciferum ille locum tenet. (Bellori luc. II 8. Eandem esse credo lucernam quae extat apud Begerum thesaur. Brandenb. p. 446.)

videntur duo quibus diserte ac definite de Thanati sacris memoriae proditum est loci. Et notissima est de Thanato a Gaditanis culto narratio. In qua cum Philostrati fraus [1]) partes egisse videatur, ita ut certa stare sententia non possit, tum Lessingius suo iure monuit non de Graecis sed de barbaris agi. Immo ipsa illa narratione refelluntur, qui de Thanato ut Graecorum deo inde coniecturam capiunt, nam ipsa sacra illa tamquam mira atque absona commemorantur.

Nec non mirari videtur Plutarchus, qui (vita Cleom. 9,1.) Thanati fanum Spartae exstructum esse tradit. Qui cum (8,2) hominem quendam *εἴς τι δαιμόνιον μικρόν, ὃ Φόβου μὲν ἦν ἱερόν* confugisse narravit, c. 9. addit: *ἔστι δὲ Λακεδαιμονίοις οὐ φόβου μόνον ἀλλὰ καὶ θανάτου καὶ γέλωτος καὶ τοιούτων ἄλλων παθημάτων ἱερά. τιμῶσι δὲ τὸν φόβον οὐχ ὥσπερ οὓς ἀποτρέπονται δαίμονας ἡγούμενοι βλαβερόν, ἀλλά. . . .*

---

1) Duo tantum nobis sunt huius rei testes: Philostratus et Eustathius. Hic autem quem et alias Philostrati libris usum esse constat (cf. Kayser Philostr. prooem. imag. pg. 5 not. 9) certe Philostrato auctore nititur. Utriusque afferam verba. Philostrat. vit. Apoll. V 4: *τὰ δὲ Γάδειρα κεῖται μὲν κατὰ τὸ τῆς Εὐρώπης τέρμα, περιττοὶ δέ εἰσι τὰ θεῖα· γήρως οὖν βωμὸν ἵδρυνται καὶ τὸν θάνατον μόνοι ἀνθρώπων παιωνίζονται, βωμοὶ δὲ ἐκεῖ καὶ πενίας καὶ τέχνης Ἡρακλέους Αἰγυπτίου καὶ ἕτεροι τοῦ Θηβαίου.* Eustath. ad Dion. 453 Poenorum Herculis sacro enarrato sic pergit: *ἔστι δὲ καὶ γήρως φησὶν ἱερὸν τοῖς ἐκεῖ τιμῶσι τὴν ἡλικίαν τὴν μαθοῦσαν πολλὰ καὶ Θανάτου ἄλλο εἰς γέρας τῇ κοινῇ ἀναπαύλῃ, ἤγουν τῷ τελευταίῳ ὅρμῳ καὶ βωμὸς δέ φασι παρὰ τοῖς ἐκεῖ πενίας καὶ τέχνης . . . .* Eustath. ad Il. IX 158 . . . *Θανάτου* [sc. *βωμόν*] *μέντοι ἐν Γαδείροις ἱστοροῦσι τινές.*

Philostrati autem verba, qui de miris quibusdam sacris narrare vult, aliquantum poetarum verba sapiunt: Aeschyl. fr. 156:

μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ
οὐδ' ἔστι βωμὸς οὐδὲ παιωνίζεται.

frgm. Eur. 250:

οὐκ ἔστι πενίας ἱερὸν ἐχθίστης θεοῦ.

cf. Lessing l. l. 217.

Attendas quaeso Thanatum cum Risu iungi, nam ubi semel quae dicit scriptor *παθήματα* prosopopoeiam admittunt, Thanato quoque aliquando fanum consecratum esse non est quod miremur. Quod contra si modo Thanatum eumque *ὥσπερ οὓς ἀποτρέπονται δαίμονας* colendum Graeci habuissent, valde mirandum esset vulgatissima eius sacra non fuisse. Sed a barbaris exempla viris doctis petenda erant[1]).

Multum sane abest quin loco Aeschyleo fr. 156 utar, quo sacra illi facta non esse demonstrem; attamen inde apparet, quid Graeci senserint de eo, atque cur sacra desint; appareret etiam si deus ille haberetur[2]).

Iam ad alteram disputationis partem transgredienti quaerentique, num Thanatus in artis operibus repraesentatus exhibeatur, atque modo factum sit, quanam figura induatur, primum id tenendum est, reputatis iis quae de litterarum memoria disputavi: fieri utique potuisse, ut Thanatus aliquando repraesentaretur. Neque si per sese res spectatur, est cur id fieri potuisse negem. Quid enim erat, quin Graeci, quibus nomine opus inscribere licebat, aliquando repraesentarent? Alterum vero id teneas, certam stabilem vulgatam figuram quaerendam non esse.

Antiquissimam Thanati repraesentationem, cuius quidem ad nos pervenit notitia, Cypseli cista exhibebat. In qua teste Pausania V 18,1 repraesentata erat Nox dextra manu puerum album dormientem, altera nigrum

1) De Plutone qui teste Pausania VI 25, 3 Elide colebatur, fabulam locis illis propriam scriptor prodit, de qua hoc loco quaerere non attinet. cf. Welcker Goetterl. II 485 et 494 de Plutonis sacro Sinopae.

2) cf. Eur. Alc. 424. Eur. Iph. Taur 183. (Suppl. 75. Herc. fur. 1027). Nauck frg. adesp. 380.

dormienti similem distortis utrumque pedibus sustinens. Ita enim verba ἀμφοτέρους διεστραμμένους τοὺς πόδας interpretanda esse cum editore docto [1]) mihi videntur; neque de rudiore priscae artis fingendi genere cogitandum est [2]), cum idem genus omnibus cistae figuris commune fuerit. Quid significet imago, apposita Noctis Somni Thanati nomina produnt. — Quae autem in repraesentandi ratione cernitur violentia, ea vel ipsa docet cistam ei artis rudioris aetati esse tribuendam, qua neglectis vel non satis perspectis verae artis legibus fortuita quaeque repraesentare posse olim sibi videbantur. Atque nescio an illa imaginis ratio a nemine alio litteris mandata, Hesiodo soli debeatur auctori. Quamquam addit Pausanias συνεῖναι δὲ καὶ ἄνευ τῶν ἐπιγραμμάτων ἔστι Θάνατόν τε εἶναι σφᾶς καὶ . . . . , tamen, quod ad ipsa artis opera pertinet, nusquam praeterea Nox illa cum pueris inventa est, etsi non raro in antiquissimis vasis fictilibus inveniuntur, quae praeter illam in Cypseli cista fuisse dicantur imagines [3]). Atque ne Noctem quidem unquam praeterea a Graecis repraesentatam esse Gerhardius affirmat [4]). Ne-

---

1) Siebelis adn. ad hunc locum.

2) Quod nuper voluit Stephani ausruh. Herc. pg. 31.

3) cf. Overbeck. Abhdl. d. sächs. Ges. IV 491 sq. — Brunn memorie del. Inst. II tv. IV 4. pg. 381 sq.

4) Gerh. Vas. I pg. 182, bullet. 1831 pg. 217. — cf. Paus. X 38, 3. Eur. Jon. 1150. — Quam Noctem in vase fictili pulchris figuris rubris picto (Hirt Bildb. tb. 26, 14 pg. 193 et 196) Hirtius et Welckerus (Mytholog. II 427) sese indagasse putant, eam equidem Auroram potius dixerim. Inter duos enim iuvenes equites, qui appositis stellis Lucifer et Hesperus esse significantur, tenera virgo utique alis fertur. Manum impositam habet equitis primoris bracchio eumque sequi videtur, qui et loco et tenuiore veste Lucifer esse declaratur. Respicit mulier quasi valere iubens Hesperum amictu velatum. — Altera quam Hirtius Noctem esse Somniis circumdatam voluit figura (Bellori lucern. I, 8 = Hirt l. l. n. 27 = Guigniaut rélig. 150, 333a) a Creuzero et Guign. l. l. ‚Natura genetrix' nominatur. Equidem nihil video nisi feminam veneream et volutabundam Cupidinibus circumfusis quam propter leonis pellem cui incubuit cum Gerhardio (bull. l. l.). Omphalem nominare non ineptum quidem sed etiam non necessarium

gat igitur v. d. in vase fictili (Vas. I 55) mulierem cum liberis duobus esse Noctem cum prole. Et mulier albo colore bracchio sustinet liberos nigro colore duos, nudum alterum, alterum tunica indutum. De quo vase alioquin agere mihi propositum est. Proprius ad Noctis cum liberis similitudinem accederet pictura élite céram II 2. Hic quoque mulier alba duos liberos nigros sustinet circumdita columnis in quibus ululae sedent. Genere vero quod distinguuntur—licet enim utrique niger marium color sit, tamen, ni fallor editionis lineamentis, alteri rotundi alteri oblongi sunt oculi—eo Thanatus et Somnus hic aperte excluduntur. Nescio an ad Latonam cum Apolline et Diana multo potius referenda sit haec repraesentatio; praesertim id de posterioris aetatis imaginibus affirmaverim [1]). Et timeo ne falso R. Rochettus mulierem in monumento sepulcrali Romano [2]) extantem, quae veste expassa et supra caput sublata cum liberis duobus per aerem fertur, Noctem cum Somno et Thanato esse contendat. Haud ignoro Lunae vestem expassam propriam esse, cuius

---

est. (Hermaphroditum eam esse voluit Müllerus Hdbch. §. 392. 2, quod negem propter strophium qua cincta est. Cf. similes repraesentationes M-W. Denkm. II 56, 713, Passeri lucern. I 8, imprimis paterae argenteae fundum (Antiquit. romain. trouv. à Berthonville. Paris 1830 pl. IV, 3). — Stephanium quoque Gerhardi sententia mirum habet (ausruh. Herc. pg. 29) sed eam confirmavit potius quam refellit, si hoc unum Noctis fictae exemplum indagare valuit. Quam enim affert Noctis figuram (Montfauc. pal. gr. pg. 13 = Millin gall. m. pl. 89,353) ex libro manuscripto res Christianas continente petivit; atque inscriptione Lunae figurae male habitae Noctis nomen vindicatur. (cf. Montfauc. l. l. pg. 11: in eodem cod. ms. fol. 419 eadem iterum extat figura.) — Vel in eis vasorum imaginibus, quae universae in rebus naturalibus maxime videntur versari, Solem orientem repraesentantibus, Noctis aufugientis partes Lunae traditae sunt. (cf. Gerhard Lichtgotth. Abhdl. d. berl. Akadem. 1838 pg. 383 tv. I et II, addas Vasi dipinti rinven. a Cuma del conte di Sirac. Napol. 1857 tv. 6 = bull. nap. 1857 tv. X n. 9.)

1) cf. Jahn arch. Aufs. pg. 68 sq.

2) R. Roch. mon. ined. tv. 57, 1 = M-W. Denkm. II 70, 880. Iam antea publici iuris factum erat apud Maun antiquit. sacr. et profan. des Rom. à la Haye 1726, pl. 16. — Nuper Mus. Chiaram. III tv. 23.

rei v. d. affert exemplum, verum non tam uni Lunae, quam festinanti cuique illud proprium dixerim. Ipse vero v. d. commemorat Latonam cum liberis. Conferas quoque nummum Ephesiacum[1]) etsi iure Ortygiam potius repraesentari vult Streberus editor. Latona cum liberis etiam in vase fictili invenitur [2]).

Quare in illo posterioris aetatis monumento Noctem Hesiodeam pridem oblivione obrutam denuo inveniri veri est dissimillimum, cum praesertim non solum Sol et Luna a monumentis sepulcralibus haud sint alieni, sed etiam huius ipsius cippi ornamenta velut gryphi et tripus Apollinis aliquam repraesentationem indicent. Neque ad illustrandam Cypseli cistae imaginem quidquam lucraremur, si iure Rochettus cognitam Latonae cum liberis figuram ad Noctis in cista repraesentatae similitudinem factam esse coniecisset; ea eenim quae extant Latonae imagines tantopere ab antiquioris artis indole abhorrent, ut similitudinem frustra eruere conemur. Ceterum iure illud coniecisse Rochettum equidem nego; nam qua Cypseli cista confecta est aetate Graecae Romanaeque artis canones inventi non sunt.

Eam Noctis cum liberis figuram quam Stephanius [3]) in anaglypho Venetiano Cleobis et Bitonis res exhibente indagasse sibi videtur, memorasse satis habeo.

Quodsi igitur cistae imago illa ad Herodotum auctorem videtur esse referenda, alia ab Homero originem ducit. In monum. del Inst. VI 21 vas Caeretanum magnis pulchrisque figuris ornatum publici iuris fecit H. Brunnius [4]). Et in altera vasis parte Achillis Ira repraesentatur, in altera duo conspiciuntur iuvenes corpore nudo et alati, portantes viri mortui corpus. Iuvenum vero alter inscripto nomine Ὕπνος appellatur, itaque vel

---

1) Abhdl. d. bayr. Acad. I tv. III 12 pg. 217—18 = Panofka berl. Acad. 1840 pg. 370.

2) Tischbein vas. d'Hamilt. III 25. = M-W. Denkm. II 13 n. 144.

3) Steph. ausruh. Herc. pg. 34 adn. 4.

4) annali 1858 pg. 370 sq.

eo alteri, cuius nomen atque corporis magna pars deleta sunt, confidenter Thanati nomen tribuere liceat, praeterea quae membrorum alarumque supersunt fragmenta similem eum alterius fuisse docent. Conferendum est vas fictile a Birchio publici iuris factum[1]: hic quoque duo iuvenes alati corpus portant viri mortui, uterque armis plene pariterque instructus est, nisi quod ei qui a laeva incedit galea nuda et nigri sunt crines, alter flavo capillo isque cincinnatus galeam ornatam gestat. Adstant mulieres duae, altera queribunda altera caduceo instructa. Et in hoc vase Gerhardius Memnonem repraesentari censet, qui cum alioquin auctoribus poetis ab ipsa Aurora matre auferatur, hoc loco coram Aurora ab Iri Ventis tradatur. Ventos scilicet esse iuvenes alatos et ornata galea gratum Zephyrum nuda Aquilonem austerum insignem esse censet. Affert sane exempla quibus mortuos auferendi provincia ventis detur. Suo iure vero monet Overbeckius illud ante omnia explicandum fuisse, quo pacto armis instruantur Venti Nonni[2]) quidem argutias, quas affert Birchius, magni momenti habere non possum. Abstineamus, ne posterioris temporis hominum pompam atque ampullas ad verae Graecae artis monumenta interpretanda nobis arrogemus.

Memnomen tamen neque vero Sarpedonem virum esse mortuum mulierum praesentia declarari omnes vasis illius interpretes tenuerunt. Quam mulierum praesentiam equidem explicari posse puto, ut in Sarpedonem optime conveniat Iuvenes enim ni fallor, quae est agendi ratio, mortuum deponere eodem iure quo tollere dicas. Quare equidem iuvenes Thanatum esse et Somnum censeo similes quidem, sed capillo et ornatu distinctos eosque

---

1) Birch explanat. of the myth up. a fict. vase London 1841 = Gerhard a. V. III 221 = Panofka Pamphaios berl. Acad. 1848 tv. IV = Overbeck Galler. XXII 14 pg. 533 — cf. Jahn Ztschr. f. Alterthwss. 1844, pg. 244, Münch. Vasens. CXII.

2) Dionys. XXXIX v. 378—80.

Sarpedonis corpus in Lycia deponentes teste Homero Il. XVI 680—83:

πέμπε δέ μιν πομποῖσιν ἅμα κραιπνοῖσι φέρεσθαι
ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν, οἵ ῥά μιν ὦκα
κάτθεσαν ἐν Λυκίης εὐρείης πίονι δήμῳ.

Mulierum autem eam quam Auroram esse vult Gerhardius matrem ipsam Laodamiam sive ex cognatis esse puto, ut erat mulierum maxime mortuos curare cf. v. 674:

ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε
τύμβῳ τε στήλῃ τε . . .,

Irim autem adesse, quo ex Iovis voluntate rem evenisse significetur. Armatos vero esse iuvenes — nisi ornato pingendi generi rem attribuere malis — eam ob causam putes, quia inter arma munere funguntur. Confirmat sententiam modo propositam alterum illud quod primo loco laudavi vas fictile, in quo cum iuvenum nomina inscriptione prodantur, Sarpedonem repraesentari dubitare nequeo.

Contraria sane argumentandi ratione Brunnius utitur. Primum enim Sarpedonem repraesentari propterea negat, quod Sarpedonis repraesentati nulla, Memnonis multa extent exempla. Tum Memnonem ab ipsa Aurora auferri non oportere, id quod ex vase a Gerhardio enarrato perspiciatur: in quo cum Venti Memnonem auferant, nihil obstare quominus etiam Thanatus et Somnus eadem fungantur provincia. At quae probanda fuerint, eis ut probatis v. d. uti monuisse satis habeo. Neque magis mihi probatur quam ille inter duas illas vasis imagines intercedere suspicatur ratio, ex qua Memnonis dea prognati morte animi ad Achillis, qui et ipse deae sit filius, exitum advertantur, quem exitum velut ultimam trilogiae partem primae, qua Ira Achillis contineatur, opponi. Atque si modo quid Irae opponendum erat, opponi opportebat finem Irae Patrocli morte allatum. Atque si quis illud concedere animum inducat Memnonis morte Achillis significari exitum, quid tandem obstat, quominus Sarpe-

donis morte Patrocli significetur exitus? At ego quidem non possum non improbare talem interpretandi artisque tragicae leges vasibus obtrudendi licentiam.

Duobus illis vasis a Gerhardio et Brunnio enarratis adiiciendum est tertium de quo adeundus est Helbigius bullet. 1844 pg. 175. Amphora est nigris figuris ornata quam Neapoli ille vidit. Repraesentantur duo iuvenes armis et telis instructi, portant nudum iuvenis corpus supra quod εἴδωλον specie armati militis indutum atque alatum conspicitur. Neque dubitat Helbigius Sarpedonis Somni Thanati nominibus figuras appellare.

Paucis de vasi fictili quodam Grimaldius retulit (annali XIX 191) Repraesentatur feminam persequens adolescens alatus, cui Thanati nomen adscriptum est. Ex Grimaldii verbis Iahnius [1]) recte opinor de Amore agi collegit; sicut igitur Amor hominem gravissimis doloribus affligere soleat, ita hoc loco Thanati nomine letalis quem amor afferat doloris auctorem significari Atque nisi accuratiore vasis descriptione nova acceperimus, in ea interpretatione erit acquiescendum.

De una praeterea Thanati repraesentatione definite ac aperte memoriae proditum est. Pausanias enim III 18, 1 Spartae in templo Chalcioeci Thanati et Somni fuisse monumenta refert, nihil addit nisi auctore Homero in Iliade fratres illos haberi.

Iam vero allatis quae afferenda erant testimoniis, quam tenuis ad nos pervenerit Thanati repraesentati notitia in aperto est Cypseli quidem cista ad artem rudiorem pertinet, quam ut de excultae artis monumentis inde certi aliquid possimus eruere. Sed ipsa quoque vasa supra laudata certam Thanati figuram non suppeditant, nam neque Thanatus neque Somnus per se spectati ullam praeferunt notam, qua possint cognosci — et Somni alioquin non desunt insignia. Ne quis alas

---

1) Vasens, CCII.

magni habeat, ut quibus nihil nisi per aerem volandi potestatem iuvenibus esse significetur; velut non solum Iovis fulmina, pharetrae sagittis repletae, sed etiam quo Apollo vehitur tripus alis instrui poterat[1]. — Neque aliam ob causam iuvenum figurae videntur esse inventae, nisi ut Homeri versus utcunque illustrentur. Dolendum sane est quod Thanati Spartani tam parca est memoria. Num sacra ei fuerint nescimus, atque, quae est monumenti sedes, ad Thanati fanum a Plutarcho memoratum id referre non licet. Quare Thanatus ille in eorum artis operum numero, quae multa in templis collocari solebant, videtur fuisse, neque iam erui potest, num qua inter illum et Minervam intercesserit ratio peculiaris. Illud utique advertendum est hic quoque duos illos iuvenes una repraesentari. Quantum scilicet comparatio somni et mortis instituta ad Thanati figuram confirmandam valuerit, supra significavi: consentaneum erat numina illa, quae simili modo homines prosternunt, iam a poetis iuncta etiam in monumentis iuncta exhibere. Neque erat quod eleganti artifice dignius esset quam repraesentanda similium fratrum dissimilitudo. Atque non inepte animo informes eos iuxta incedentes ad descriptionis Hesiodeae exemplum repraesentatos, nec non iuxta Somnum illum Madridensem appositam informes Thanati figuram velut ad Harmodii et Aristogitonis similitudinem.

Contra Spartanis figuris alienas puto Ildefonsenses illas clarissimas. Non negaverim postquam in Italiam migravit Graeca ars Somnum et Thanatum in istum modum potuisse repraesentari[2] atque in universum iudicans Welckeri sententiam[3] non possum non amplecti nec non quod tulit de Lessingii aliorum commentationibus

1) Cognitus est M. I. d. I. I 4. cf. Grivaud mon. ant. dans l'ancienne Gaule XVII 4. in nummo Poeno (?); similis commemoratur, ibid. pg. 101.

2) Seneca Herc. fur. 1069: 'frater durae languide mortis.'

3) alt. Denkm. I 375 sq.

iudicium [1], Est tamen quod minus probaverit mihi vir doctissimus. Somnum enim qui proprie dicitur repraesentari ille vult, verum si id concedas, cur figurae illae hac potissimum ratione iungantur non perspicitur. Iunguntur enim ita, ut alter alterius humero et cervici bracchium imponens ei applicetur. Quodsi Welckerus ista iungendi ratione Somnum infirmiorem teneri oremque significari censet, equidem gravius aliquid requiro, quod tam insigni iunctione sculptore cui non ita multa componendi genera suppetebant, significari voluerit. Accedit quod uterque coronis cinctus est, et in Thanatum quidem illud convenire, quia mortuos coronis solebant ornare recte Welckerus monuit, verum ipse vidit Somno nonnisi tamquam comiti eique inferiori coronam esse concessam. Atque omnino negari nequit Thanato primas partes delatas esse. Apte ei faces datae sunt quibus rogum accendat; ad eundem Proserpinae quae adstat figura referenda est, ad eundem ara medium inter iuvenes obtinens locum.

Quid vero Somnus si quidem per se spectetur, sibi vult, licet cornu somniferum dextra tenuisse largiamur? Quare id ipsum equidem significari puto, quod reiicit Welckerus, cuius ipsa verba elegantissima apponam: *„Neben den Fackeln des Scheiterhaufens könnte man vielleicht den Schlaf des Todes vermuthen, den heiligen wie ihn Callimachus nennt, so dass unter einen Begriff gefasst das Bild uns sagte, wenn die Flammen die Gebeine verzehrten, dann ruht der Mensch von Mühen und Schmerzen des leiblichen Daseins, er schläft.“*

Quae quum ita se habeant, quamvis perpauca de Thanato Spartano memoriae prodita sint, similem tamen huius fuisse negare licet; nam quae est genuinae artis

1) Multas repugnantium sententias Wieselerus congessit Narziss pg. 60 sq., quarum haud paucae accurata Huebneri descriptione (Madrid. Mus. pg. 73 sq.) refutatae sunt. Ipse Wieselerus vereor, ut cuiquam de Narcisso suo persuaserit. — cf. Jahn Ber. d. sächs. Ges. 1861 pg. 122.

Graecae simplicitas, simpliciorem atque perlucidiorem inter iuvenes intercessisse iunctionem verisimile est. Praeterea qui sculptor ad Somnum fingendum Sauroctoni figuram mutuatus est, eum post debellatam potius Graeciam floruisse puto neque Graecae artis opera a Welckero laudata sat apta eiusdem mutuationis exempla videntur habenda esse.

Monumentum Ildefonsense modo explicantes iam eo devenimus, ut inter monumenta quae supersunt figuris quibusdam Thanatum repraesentari ex sola ipsorum natura colligeremus. Quam quaerendi viam cupidius ingressus est R. Rochettus. Vereor tamen ne nimis neglexerit, quid veteres ea de re senserint, id quod huc usque eruere erutumque tueri conatus sum. Ex omnibus igitur quas huc pertinere censuit figuris vix unam alteramve agnoscere possum.

Utitur Rochettus inprimis Thanati descriptione Euripidea. Quae iam accuratius examinanda est. Et uno tamquam primario loco licebit uti v. 843:

ἐλθὼν δ' ἄνακτα τὸν μελάμπεπλον νεκρῶν
Θάνατον φυλάξω.

Addit scholiasta: εἰδωλοποιεῖται μελαίνας πτέρυγας ἔχων ὁ Θάνατος. Quibus verbis adductus Musgravius coniecit μελάμπτερος, alii contra μελάμπεπλος vocem defendunt scholiastae adnotationem v. 261 πτερωτὸς Ἅιδας niti suspicati. Et posse Thanatum μελάμπεπλον dici Jacobsius animadv. pg. 34—36 abunde demonstrat. Sed haec utcunque se habent, si modo recte Thanatum et Plutonem confundi supra exposui, πτερωτὸς Ἅιδας idem esse atque Thanatus putandus est. Quamquam non negaverim poetam forsan translatis uti verbis illis[1]). Sed licet alas Thanato Euripides non concesserit sicut Furiis Aeschyleis nullae erant in scaena alae, mirum tamen non sit, si Thanatus velox ille raptor, in Graecae artis operibus alis in-

1) cf. Eur. Tr. 847 λευκόπτερος ἡμέρα. Orest. 176 κατάπτερος νύξ. Hippol. 1250 Ἔρως ποικιλόπτερος.

structus inveniatur[1]). Atque tristem Thanato Euripideo fuisse vultum per se patet, ut ne opus quidem sit v 261: ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων.

Praeterea gladium gestasse quo crines abscinderet v. 76. Quem gladium maxime singularem atque mirum posterioribus visum esse supra adnotavimus. Nos sane non offenderemur in gladio Morti attributo, ut qui vel messorem eum inducamus. Quod vero Thanatus morituros crinibus abscissis consecrat, quae consecratio uni Thanato Euripideo propria est, id ipsum in artis operibus imitando expressum indagare Rochetto non contigit. Quare satis habuit figuras vestitas, alatas, rapientes quaerere; atque potuit videlicet invenire, cum Aquilonis repraesentationes uberam exemplorum copiam ei suppeditarent. Qua in re cum nemo eum secutus sit, satis erit imagines quas tabula XLIV B incidi curavit atque quas laudat Millin peint. d. vas. ant II pl. 5, Tischb. III 31, Panofka Neap. antike Bilder I. pg. 252, 377. 245 per saturam ad Aquilonem rettulisse.[2]) Iure sane v. d. advertit crebras esse Orithyiae ab Aquilone raptae repraesentationes eisque mortem velociter homines abripientem significari, inde autem nescio quo pacto Thanatum quoque saepe repraesentatum esse concludit. Immo vero quod Graeci mortis rapacitatem et velocitatem sive ista sive alia certa fabula tamquam repraesentare volebant, eo veri fit dissimilius, ipsius Mortis peculiarem habuisse formam. Quatenus posteriores homines figuras illas Aquilonem et Orithyiam habuerint aut mytho neglecto Thanatum virginem rapientem, id in singula inquirens vix unquam eruas. In universum autem statuendum est, Graecis fuisse in promptu Mortem Ventum deripientem informare, cum vel apud Homerum extent Harpyiae ἀναρπάξασαι θύελλαι.

---

1) cf. Zoega über die geflüg. Gotth. ed. Welcker rhein. Mus. 1839 pg. 579 sq. 587. Gerhard. Flügelgest. pg. 3.

2) cf. Panofka annal II 138—39.

Liceat de Wittei[1]) apponere verba: „ . . . *ce sera Thanatos ou Hades qui enlève une jeune fille, mais comme les fables attiques paraissent en général avoir exercé une grande influence sur les compositions que produisent les vases peints, nous persistons à donner un nom précis aux personnages qui figurent dans ces sortes de scènes.*“

Est ubi vir doctus ipsum modo Thanatum agnoscat velut in vasis fictilibus nonnullis Ruvensibus quorum unum publici iuris fecit Migliarinius.[2]) Repraesentatur vir nudus barbatus alatus isque virginem auferens. Extant parvae eae figurae in collo vasis Appuli utique inter ornamenta palmata. Migliarinius suo iure videtur censere, quo tempore vas illud pingeretur, parum accurate quid maiores sensissent quaesitum esse, licere igitur figuram illam sive Aquilonem cum Orithyia, sive Plutonem cum Proserpina, sive Thanatum cum filia aliqua habere. Quam sententiam Welckerus probavit [3]), nisi quod de singulis singillatim quaerendum atque iudicandum esse existimat.

Velut imagine quae exstat apud Rochettum mon. in. tv. XLIV A et editor et Welckerus Thanatum repraesentari volunt, atque Euripideum esse Alcestim abripientem Welckerus suspicatur. In vase illo fictili, rubra figura conspicitur viri alati, vultu truci, pelle hirsuta amicti; vehementi impetu mulierem quae delapsa veste toto fere corpore nuda est arreptam tenet. Quam imaginem his verbis Welckerus enarrat: „*Die Geraubte scheint den Schauer des Todes zu empfinden und der Räuber erfasst sie so gewaltig, nicht mit dem Ungestüm des Verlangens sondern mit einer gewissen Gleichgültigkeit als eine sichere Beute. Es liegt in dem Gesicht eine abschreckende Hässlichkeit und zugleich eine Aeltlichkeit, die nicht anders als absichtlich sein können, und die beide für den Schwiegersohn des Erechtheus unschicklich sind.*“

---

1) Catal. Beugn. no. 40.

2) annali XV tv. d'agg. O. n. 5 pg. 393. = M-W. II 70 n. 878.

3) alte Denkm. III 165. cf. Müller Hdbch. §. 397, 3.

Sunt autem opinor quae imaginem a libidine haud prorsus alienam esse videantur indicare; quorum indiciorum in numerum daemonis ventrem impudice inflexum, nudam mulieris formam, manus sub veste eius alvo impositas rettulerim. Quem vero torporem Welckerus mortem reformidantis esse putat, eam forsan a pictore nimis auctum libidini tribuas. Quam peculiarem violentiam, lupi pellem, opificis imperitiam forsan inde explices quod, nisi prorsus fallor, ab Atheniensi opifice vas illud confectum non est, sed ab Italo aliquo imitatore. Quam sententiam qui amplectitur Rochettus ad figuras eas conformandas Italorum etiam fabulam quandam valuisse probabiliter coniecit; daemonem enim qui Temessae quotannis virginem rapuisse proditur, repraesentari putat. Quare hominum raptum hic quoque certa fabula expressum dicas, Thanatum autem hinc quoque excludas.

Qua ratione Rochettus fabulas quasdam velut illam de Aquilone a rerum definita simplicitate avocatas ad generales quasdam notiones transfert, — quae fabulae eo ipso quod inventae sunt optime docent ipsius Thanati repraesentationem usitatam non fuisse — eadem ratione duas enarrat gemmas scalptas, quas ad I o v e m et S e m e l a m Winckelmannus editor rettulit [1]). Quarum in prima mulier scalpta est dormiens, quam qui pone adstat vir barbatus, alatus, plene vestitus manibus leviter attingit. Circumdatus est fulminibus. In gemma altera vir similis sed corpore nudus mulierem corruentem sustinet. Winckelmanni sententiam reiecit Boettigerus [2]). Iovem enim plene vestitum in monumentis non extare neque alas in deum quadrare. Fulmina a recentiore aliquo adiecta esse ei placet, iubet igitur esse illum Thanatum probantibus et Schlichtegrollio et Millino [3]). Quae de

---

1) Winkelm. mon. ined. I 1 et 2. = Schlichtegroll Ausw. vorz. Gemm. tf. 26 = Tassie XXII 1147 u. 48 = M-W. II tv. 3 n. 46a et b.

2) apud Schlichtegr. l. l. pg. 114.

3) Millin peint. d. v. ant. pg. 10.

Iove alato protulit Winckelmannus, ea diiudicata habere licet. Sed cum nullam videam causam qua adductus fulmina aliquis fraude adiecerit, neque Schlichtegrollius subitam mortis velocitatem eis significari iure suspicetur: tenendum est Semelae mortem fulminibus indicari. Alatus autem Iupiter nihil potest esse nisi tempestas cum fulguribus et tonitribus coorta, velut tempestatem Iovis Pluvii forma videmus repraesentatam in Antonini columna [1]). At si recte Winckelmannus priscae aetati gemmam vindicasset, Iovem esse tempestatem denegari oporteret. Verum ut de artis genere, quae est trium editionum discrepantia, iudicium ferre non possum, ita posteriori aetati gemmam eo adscripserim, quia Semelae figura ad Ariadnae Vaticanae similitudinem formatam esse apparet.

Unam tamen imaginem a Rochettio iure ad Thanatum relatam esse censeo, quae extat in vase rubris figuris picto [2]). Singulare pingendi genus est, atque quod simile esset vas vix unum reperire potui [3]); cum enim formae ac motus excultae artis notam aperte praeferant, durities tamen rigida tamquam quaesita est. Mercurio praeterea insolenter, quod est hoc vasorum genus, barba attribuitur et ipsi Oresti. Ceterum barbae omnes arte magis quam natura ori adhaerere videntur, atque, nisi fallunt editionum lineamenta, omnes fere figurae subrident.

Et ea vasis imago quae huc pertinet a Rochetto uberrima doctrina haud dubie recte enarrata est. Repraesentatur enim Orestes, qui interfecto Neoptolemo in aram dei Delphici confugit, caedis socius adstat vir qui-

---

1) Etjam in libro manuscripto Fulminis figura alis et face instructa est Guignaut pl. 249 n. 861. ex Bartoli Virg. cod. pict. quem librum ipse non vidi.

2) R. Rochette mon. in tv. XL = Mus. Blac. tv. VII.

3) Simile lineamentorum genere dicatur vas Mus. Blac. XII extans, ubi similis quaedam corporis, capillorum, barbae eadem ipsius vasis forma deprehenditur.

dam, sive Machaereus sacerdos [1]) sive Populus Delphicus nuncupandus. Neoptolemum corruentem excipit tamquam ablaturus vir nudus alatus, promissa barba caesarieque insignis. Quem Thanatum esse vidit Rochettus, consenserunt Welckerus, de Witte, Panofka alii [2]). Iure tamen Panofka miratur, cur hoc potissimum loco eoque solo Thanatus inveniatur, cuius in tanta similium fabularum et imaginum copia nullum vestigium appareat. Quare nisi fortuitum pictoris inventum id habere mavis, remotior forsan fabulae forma istius figurae repraesentandae ansam praebuit. Mirum mehercle non est, tale quid Panofkam esse rimatum, quod autem placuit viro docto, id alteri credo non placebit. Suspicatur enim cum Neoptolemi morte Oniri caedem ab Oreste perpetratam esse confusam. Oniri autem, Neoptolemi fratris, nomen significare somnium, somnium Somni esse socium, Somni Thanatum fratrem esse: quare Thanatum Oniri vel Neoptolemi interesse caedi. Cetera praetermittere fas est [3]). — Quare nisi quis casus huic fabulae, in qua etiam Machaereus mera gladii prosopopoeia videtur esse, novas affuderit luces, sumendum erit, figuram allegoricam a pictore adiectam esse, qua caedes ipsis ceteris figuris repraesentata oculis magis etiam subiiceretur. Conferre possis Thanatum illum et cum Thanato Euripideo et cum multis quae in vasis conspiciuntur, ut Plutarchi verbo utar, *παθημάτων* repraesentationibus [4]) Quomodo autem fabula certis locis propria feliciter eruta Thanatorum numerum imminuat, exemplo est cista F i c o r o n e n s i s [5]). In qua iuxta Amycum, qui arbori a Polluce alligatus

1) cf. Müller Proleg. pg. 288.

2) Welcker. alt. Denkm. III 165. Panofka Mus. Blac. pg. 37. De Witte annal. V 314.

3) De altera vasis imagine cf. Klügmann. memor. d. Inst. II 388.

4) cf. Jahn Vasensamml. CCXXVII.

5) Materiam congessit Jahnius Die ficoron. Cista.

mortem expectat, vir adstat promissa barba et caesarie, ampla veste et calceis indutus, magnis alis instructus Caput manu sustinet, cubito cruri innixus. Quam figuram omnes fere Thanatum esse voluerunt, Gerhardius Aquilonem, donec Panofka feliciter advertit, Sosthenem daemonem Argonautis in pugna illa auxilium tulisse eiusque simulacrum et aram in Bosporo ostensa esse. Neque dubitare licet quin, quae est Jahnii sententia, simulacrum aliquod illic antiquitus collocatum de Sosthene fabulandi ansam praebuerit. Atque ipsa cistae figura documento esse potest, Venti simulacrum Ponticum illud fuisse, cum praesertim id genus simulacra locis illis crebra fuisse constet; quorum naturam posteriore aetate parum esse perspectam mirum non est.

Simili posteriorum hominum errori forsan tribuendae sunt, quae in sarcophago apud Rochettum (XLII A 1) extant figurae. Repraesentatur enim in lecto prostrata femina, haud dubie mortua; utrimque adstat vir ad prisci Aquilonis similitudinem alatus, barbatus, veste et calceis indutus, uterque humili pilae innititur. Et ex altera parte adiecta est Charontis figura cymbam ab ripa depellentis, ex altera Herculis Cerberum ad superos ducentis. Suo iure Iahnius monet [1]) victoriam de morte relatam non alienam esse a Christianorum cognitionibus. Atque memoriae proditum est [2]) a Constantino imperatore Sosthenis, quod putabatur simulacrum, cui sarcophagi figurae et vultu et habitu simillimae sunt, somnio iubente St. Michaelis simulacrum creditum atque consecratum esse. Sumamus igitur licet primos christianorum artifices, ut solebant paganorum figuris uti, ad angelos alatos repraesentandos etiam Ventorum figuras adhibere non dubitasse. Atque ab angelis duobus mortuam custodiri a veri similitudine proprius videtur abesse quam Rochetti sententia Thanatum Euripideum reprae-

1) Ber. d. sächs. Ges. 1855 pg. 279.

2) Ioann. Mal. chron. IV pg. 78 f. Dind. cf. Jahn ficor Cist. pg. 13.

sentari suspicantis; nempe quo tempore vel Aquilonis figura miris utique erroribus erat obnoxia, eo talem Thanati figuram vel priscis temporibus vix semel indagatam adhuc perspici potuisse equidem nego.

In transcursu attigisse satis erit figuram quandam ad Medeae fabulam pertinentem, quae in Romanorum sacrophagis conspicitur [1]. Est iuvenis amictus, corona caput redimitus, vas dextra tenens quod cornu iure dicitur. Qui cum pueros matris insidiis morituros adspiciat Thanatus habebatur [2]. Attamen Zoegae [3] potius sententiam amplectar, venenum ipsum prosopopoeia repraesentari.

Neque dubitare potest, quin qui imagine illa apud Rochettium (mon. in. XLIII 2) publici iuris facta conspiciatur, homo rotis vectus clavam et libram gestans quem quidem Muellerus [4] esse voluit Thanatum, a Iahnio recte nominetur Καιρός [5].

Dum in artis Graecae monumenta inquirebamus, saepius Romanorum quae dicuntur temporum opera attingenda erant, ex quibus quae fata illa Graecorum inventa habuissent disceremus. Iam vero in Graeciam revertamur.

Nam quum adhuc inter litterarum et artis monumenta nonnisi ea, quae ad Thanatum et Plutonem pertinerent, examinaverimus, restat, ut accuratius quaeramus, num alio sub nomine Mortis aliqua figura lateat. Sed ne huiusmodi scriptionis fines transgrediar, de istius generis figuris, quatenus licet, brevissime dicam.

De Homero cum supra dissereremus, quid sensuisset de Morte exposuimus, de Apolline et Diana deis morti-

---

1) Clarac II 204 n. 478. Millin gall. myth. 108 n. 426. P-Cl. VII 16. Mus. di Mantov. I 9. etc.

2) Gerhard Prodr. 257.

3) br. II 215.

4) Hdbch. § 379, 3.

5) Ber. d. sächs. Ges. 1853 pg. 19.

feris liceat ad superiora provocare. De Keribus autem nonnulla sunt addenda. A Welckero[1]) Ker nuncupatur *'der Treff des Todes'*. Quae explicatio ut in universum spectata in Homerum convenit, ita tenendum est plagam, ut ita dicam, vel eventum Kerum numine praecipue repraesentari eamque ob causam saepissime vocem aliquam qua Mors denotetur adiici. Inde factum est id quod Welckerus advertit ab Hesiodo Morbos Keres dici, a Mimnermo Senectutem et Mortem, a Theognide etiam Sitim et Vinum eodem nomine nuncupari[2]). Quo liberiore dicendi genere confirmatur, quod vel aliunde apparet, arte cum maxime vigente Kerum vim horribilem mortiferamque tantum non prorsus evanuisse. Repraesentationum amplissima extat in Scuto Herculis (vv. 156—160) quae quamvis absonum in modum a poeta aucta atque deformata sit, similis et cognata est Keris figurae quam in Cypseli cista expressam Pausanias describit (V 19, 1). Quae erat mulier foeda visu bestiaeque instar promissis dentibus et unguibus instructa. Quae vero aetatem tulerunt repraesentationes[3]), in eis atrocitas magnopere diminuta deprehenditur etsi in numero sunt priscorum vasorum nigris figuris insignium. Conferatur Ker quae Alcyonei caedi interest[4]); Kerem alatam quoque figuram sedentem dixerim apud Iahnium l. l tv. V 2. Ab Iahnio quidem Somnus habetur Alcyoneum expergiscentem Herculis gratia domiturus. Primum autem figurae habitus is est, ut ne Somnus quidem quidquam agere posset, nam et caput et manus demissa sunt. Deinde recte

---

1) Goetterl. I 708. cf. Deiters. de scut. Herc. pg. 37 sq.

2) Ex posteriore tempore multa congessit: Furtwängler Idee des Todes pg. 42. — cf. Ambrosch. l. l. pg. 28.

3) cf. Visconti antichi mon. sepolcr. di Ceri tv. IX. Mus. Gregor. II 27, II 29 n. 4, a. etc.

4) Tischb. III 20. = Jahn Ber. d. sächs. G. 1853 tf. VII I = annali V tv. d'agg. D. 1 et 2. ed. Lenormant pg. 311 = M-W. II 70 n. 887 et 873. De tertia eiusmodi figura bull. 1829 pg. 108.

Stephanius monet [1]) hanc figuram Keri supra memoratae similiorem esse quam quae eiusdem fabulae simili repraesentationi inserta aliam vim habere possit. Itaque Kerem esse puto, quae opperiatur dum occidatur gigas, sicut in sarcophagis repraesentantur Furiae in insidiis dormientes, dum Orestes occiso Aegistho ad Clytaemnestrae caedem accedat [2]).

Keribus valde cognatae sunt antiquioris aetatis Parcae [3]); quae cum suam cuique sortem tribuant, morti quoque arcte coniunctae sunt. Neque pauca, quae Keribus propria fuerunt, ad Furiarum figuras formandas translata sunt [4]).

Atque in universum iudicantibus affirmare licet numina ista vigente quidem arte mortis deas habitas non esse.

Interdum etiam Harpyiae, dum homines auferunt, occidunt, quas procellas esse vel ex Homero constare supra exposui. Omittam monumentum illud Xanthi repertum cum, quatenus ad conformandas Harpyiarum figuras valuerit barbarorum religio, iam non investigari possit. Illud vero non omittendum est, quod Harpyiae habentur [5]), quae in vasis rubris figuris pictis saepius conspiciuntur singulae mulieres alatae vestitae sectantes singulos iuvenes, qui sive lyram sive librum sive aliud id genus gestantes aut perterriti aufugiunt aut impetum defendere student. Quamquam non negaverim certae alicuius fabulae personas repraesentari. Improbanda utique sit Friederichsii sententia quam proxime protulit [6]):

---

1) melang. gr.-rom. I 591.

2) Clar. 202 n. 388. P-Cl. V 22, Gall. Giust. II 130, R. Rochette mon. in. XXV 2.

3) Preller gr. Mythol. I 413 sq.

4) Aesch. Sept. 1055 κῆρες Ἐριννύες. Eur. Electr. 1253. cf. Schoemann opusc. II 144.

5) Jahn. arch. Beitr. pg. 103 sq

6) arch. Zeit. 1865 pg. 80.

suspicatur enim iuvenem victorem perterreri adspectu Victoriae ipsius, quae ipsa ut angelus de coelo devolet. Quam alienus sit eiusmodi terror a veterum cognitionibus vel Livi verba (VII 12, 13) documento sint: 'qui nihil agenti sibi de caelo devolaturam in sinum victoriam censeat'.

Sirenum [1]) et Sphingum [2]), quae ut symbola mortis haud raro adhibebantur, vim atque naturam hoc loco perscrutari non iam licet.

Dignus autem, de quo acuratius agatur, Charon est, ut quem Ambroschius in libro de Charonte Etrusco doctissime scripto posteriore maxime tempore praecipuas inter deos mortiferos partes egisse velit, neque quisquam, quantum scio, post illum rem retractavit. Et Charontem Ambroschius censet ex Aegyptiorum religione translatum paullatim inferorum deorum omnium provinciam sibi vindicasse, praecipuum daemonem mortiferum in scaenam Graecam Romanamque inductum esse, ex ipsa scaena ab Etruscis petitum in Charontem Etruscum esse mutatum. — Quaecunque vero v. d. diligentissime attulit argumenta, eis id tantum comprobari puto, quam popularis grataque posteriore aetate fuerit Charontis figura. Reliqua omnia incerta sunt. Et utrum ab Aegyptiis ille originem duxerit an ex Plutonis cane [3]) in hominis figuram transformatus sit, in medio relinquam, cum quae sit apud Graecos eius natura satis constet [4]). Quamdiu vero vigebant ars atque religio Graecorum, erat manebatque ille, si summam rem spectas, nihil nisi portitor. Nam mortuis hominibus neque vero morituris Charon suam accipit provinciam. Machonis quidem comici locum [5]), Ambroschius laudat

1) Jahn Ber. d. sächs. Ges. 1855 pg. 283. Schöll arch. Mitth. pg. 112. Jahn arch. Beitr. pg. 117.

2) Schoemann opusc. II 292. Jaep Die griech. Sphinx pg. 25.

3) Ambrosch l. l. pg. 30.

4) Pausania X 28, 1 auctore in Minyade prima eius mentio facta est.

5) Athen. VIII 341 c.

quo Charontem in Nioba Timothei dithyrambo inductum esse probet. Sunt enim haec verba:

ἀλλ᾽ ἐπεὶ
ὁ Τιμοθέου Χάρων σχολάζειν οὐκ ἐᾷ,
οὐκ τῆς Νιόβης, χωρεῖν δὲ πορθμὸν ἀναβοᾷ,
καλεῖ δὲ μοῖρα νύχιος ἧς κλύειν χρέων.

Atqui cum quatenus in dithyrambis ad scaenae rationem inductae sint plures personae parum constet, tum ipsa fragmenti verba Charontem inductum esse nequaquam docent. Niobam enim similia verba atque Alcestim (vv. 254—55) locutam esse suspiceris, qua in fabula nullae sunt Charontis partes [1]); an μοῖρα νύχιος quoque in scaenam prodiit? Qualem autem Niobae eiusmodi verba poetae comico irridendi praebuerint ansam, iam sciri nequit.

Neque magis Antiphanis fragmento (I 512 M.) quisquam demonstret Charontem in scaena comparuisse. Sunt verba:

τοὺς γλιχομένους δὲ ζῆν κατασπᾷ τοῦ σκέλους [3]).
ἄκοντας ὁ Χάρων, ἐπὶ τὸ πορθμεῖον τ᾽ ἄγει etc.

Si Alcestide in tragoedia licuit Charontis instantis verba τί μέλλεις; audire, in comico certe poeta tam auctum dicendi genus nihil est quod miremur.

Tenendum utique est ex constanti Graecorum Romanorumque sententia Charonti nullum apud superos fuisse locum atque vel apud Statium [3]) et Lucianum [4]) Charontem cum summo omnium stupore inter superos comparere. Et mortifero certe deo inter superos versandi summa erat necessitas. Quodsi igitur recte statuant Ambroschius et Prellerus Charontis personam in Atticorum

---

1) cf. Oed. Colon. 1548: τῇδε γάρ μ᾽ ἄγει Ἑρμῆς ὁ πομπὸς ἥτε νερτέρα θεός. Aristoph. Plut. 278 ὁ δὲ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσιν.

2) Lucianus eisdem verbis de Cerbero utitur dialog. mort. XXI atque adeo de Fato Hermot m. op. 6. τό χρεὼν ἐπιστὰν κατασπάσαι λαβόμενον τοῦ ποδός. — cf. Germanum illud: ‘an den Haaren herbeiziehen.’

3) Theb. XI 587—89.

4) Contempl. I. Hemst. III pg. 29.

scaena fuisse usitatam — neque tamen id comprobatum esse concedam — non est tamen deus mortifer, sed Prelleri probem verba, qui mortuos illum convocare cogere transiicere dicit. Id vero nonnisi orco in ipsa scaena repraesentato fieri potest velut in Ranis Aristophanis. Neque meliora testimonia pro Charontis apud Romanos vi mortifera attulit Ambroschius, de quibus infra mihi agendum erit — Nec non artis monumentis [1]) Ambroschii sententia refellitur, nam in vasis fictilibus Atticis non secus atque in recentissimis Romanorum operibus sive cymba sive remus portitorem Charontem arguunt.

Diutissime vero vulgi gratiam illum conciliatam habuisse Ambroschius satis probavit; atque id facile evenit, quia antiquitus vulgari atque quodammodo ridiculo habitu festivo vulgi sensui accomodatus erat. Itaque e reliquorum deorum naufragio feliciter evasit atque quidquid Graecarum mortis cognitionum mentibus etiamtum inhaerebat sibi vindicavit. Unde factum est ut apud Suidam extet *Χάρων ὁ Θάνατος*, Isidorus [2]) qui tamen ne *Ἅιδης* quidem nomen cognitum habet, Plutonem eum esse velit, Byzantini in editionibus veteribus Euripideum Thanatum

---

1) In vasis fictilibus: Stackelb. Gräb. 47 = JahnVasens n. 209, ibid. 48. = M-W. II 69 n. 869.

In picturis: Paus. X 28, 2, Olfers Grab in Cum. tv. IV = Sickler Grab in Cum.

In nummo: Millingen unedit. coins IV 63, 14=M-W. II 69 n. 868.

In gemmis: Christies paint. gr. vas. tb. V = Tassie 1513, Clarke trav. in var. Countr. II 2, 1516 = M-W. II 69 n. 870.

In lucerna: Bartoli I 12 = M-W. l. l. 871.

In fragmento candelabri: Gall. Giust. II 126.

In sarcophagis: R. Rochette mon. in. 42 A. 1, P-Cl. IV 35, Mus. Kirchr. 126, Montfauc. V 124, Garrucci Mus. Lateran. II, Ber. d. sächs. G. 1860 tf. 8, M. I. d. I. III 40, a. Conferas autem Jahn arch. Zeit. 1853 pg. 29 qui Aeacum eum esse vult.

Vulcanum malleo instructum quo Ixionem rotae affigeret, Charontem esse voluit Rochettus. mon. in pl. 45 pg. 179 adn. 3. = M-W. II 69 n. 863.

2) Origin. VIII 11. § 42.

Charontem nuncupent, Graeci qui nunc sunt spectrum cum mortiferum habeant.

Ceterum quod inter vulgus et figuram quam tremendam potius quam adamandam dixeris benevola quaedam intercedit familiaritas, mirandum non est reputantibus, qualis sit apud nostrates Satanae ratio. (cf. quoque vocem: Freund Hein), Atque sicut nostrates in proverbiis et iocose dicendi genere necis notioni generali substituunt malae crucis et carnificis notissimas species ('Galgenfrist, Henkersmahlzeit') ita veteres Charontis maxime figura notissima usi sunt, qua quidquid ad mortem pertineret, festive significarent. Inde enim explicuerim quod scalae, quibus spectra ex Orco in scaenam escendebant, *χαρώνειοι κλίμακες* vocabantur [1]). Nec non qua capitis damnati ad necem ducebantur, iudicii portam *χαρώνειος θύρα* appellant [2]) eo iocandi genere usi quod nos dicimus 'Galgenhumor'. Ioco denique illud quoque manifesto tribuendum est, quod qui ex Caesaris testamento creati erant senatores latine Orcini [3]), *χαρωνιανοὶ* vel *χαρωνῖται* Graece nominabantur [4]). Confidenter igitur improbaverim Ambroschium scalarum etc. nomen inde explicantem, quod in deum letiferum Charon conversus sit. Quibus rebus Muellerus [5]) adeo collegit Charontem priscarum religionum deum mortiferum fuisse.

Neque intelligo, cur Ambroschius Charontem Etruscum cum Graeco confundat; quae enim illi propria est foeda species, non tam est singularis, ut Etrusci a Graecorum aut Romanorum Charonte scaenico eiusque persona comica illam mutuati esse existimandi sint; ne illis inventum illud invideamus. Neque est, cur malleum Charon-

---

1) Pollux onomast. IV 127.
2) Poll. VIII 102. Suidas s. v. l. Hesych. s. v. *χαρώνιον*.
3) Sueton. Aug. 35 etc.
4) Theophil. inst. de sing. reb. fideic. § 2 — Plutarch. Ant. 15,
5) Etruscer II 100. adn. 71.

tis Etrusci e Graecorum superstitione originem duxisse putemus, qui flammis quoque de mortuis poenas sumi eoque daemones vindices ferrariis similes illic versari putarent. Mira utique ex festivo Callimachi[1]) loco de Cyclopibus et Mercurio Inferno ille elicuit. Malleus certe ab ipsis Etruscis ferro fingendo claris daemoni attribui potuit. Et Graecorum quidem Charontis satis certum manet insigne remus, atque adeo pileus nunquam deest. Utriusque autem apud Etruscos vestigia extant nulla.

Ceterum ipse Charon Etruscus documento est, quam amplam daemonis mortiferi semel inventi provinciam esse oportuerit; non solum sexcenties in monumentis vere Etruscis invenitur, sed etiam Graecis, quas imitando illi expresserunt, imaginibus inseritur, ita ut in hoc artis genere Alcestim a daemonibus coniugi ereptam videamus; quam ad repraesentationem formandam Thanatum Euripideum quidquam valuisse sumamus nequaquam necesse est.

Iam igitur ut summam quaestionis huius proponam *δαίμονα ἁρπάξαντα* sive Thanati sive alia quavis figura indutum a Graecis alienum esse censeo.

Quae Mortis forma a Zoega nominatur 'activa'[2]) Atque quaerit vir illustris num quam 'passivam' dicit forma repraesentata sit. Quod eo negandum esse putat, quia mortui evasura fuerit imago, cui vim aliquam nemo voluerit tribuere. Eodem modo Somni duas esse statuit formas, alteram dei somniferi, alteram somni prosopopoeiam dormientis figura repraesentatam. Quae formae ubi ita confundantur, ut deus somnifer aut dormiat aut dormientis aliquam praeferat similitudinem, posteriorum hominum neglegentiae et perverso iudicio id esse imputandum. At vereor, ne v. d. logicae artis praeceptis usus artibus, in effectu positis, nimis severas leges scripserit. Nam quibus utitur ille vocibus 'activus' et 'passivus' eis nonnisi extremi quidam termini significari possunt; inter

---

1) hymn. in Dian. 67 sq. cf. Haupt B. d sächs. G. 1851 pg. 39 sq.
2) cf. Zoega. br. II 203 et 206 sq. cf. Gerh. Prodr. 245.

quos terminos quae multa intersunt, ea tam subtilitibus et iuncta et disiuncta sunt discriminibus, ut ea omnia in duas partes dirimentes non tam in ordinem illa redigamus, quam opinatarum regularum exceptiones in immensum augeamus. Activa scilicet vis religione maxime deis tribuitur, artifices autem deos agentes repraesentaturi, quidnam agant illi perraro tantum ipsa actione significare possunt. Quare haec artificibus venia datur, ut exprimant effectum eumque in ipso deo, qui proprie informari debebat efficiens. Quod eo facilius arti conceditur, quo magis dei labente in dies religione pristina maiestate orbati vires naturales esse putantur. Quare in priscae artis monumentis, ut exemplo utar, et caeli et maris et orci reges regum modo habitum, eumque eundem omnes prae se ferunt, quod autem adiectis distinguuntur insignibus id non iam verae artis est. Ubi vero ad maris naturam Neptuni vultus habitusque transformatur, quod summum artis columen suspicimus, iam ad illud repraesentandi genus ars proprius accedit quod passivum Zoegae nuncupatur Non secus Bacchus ebrius, Venus libidinosa, Amor amore ardens repraesentatur. Notum est Medusae exemplum, quam torpefacientem olim, mox torpefactam fingebant. De Veneris quae vocatur Paracyptusa signo iuvat Welckeri elegantissimam laudare commentationem [1]).

Quibus artis adminiculis pro rerum diversitate alibi aliter artifices uti oportebat, neque eiusmodi elegantias logicae generibus arctius coercere fas est Immerite igitur Zoega Thanati repraesentationes aut activas aut passivas esse contendit; ut enim concedendum est mere passivam locum non habere, ita quam proxime ad eam accedere potuit Mortis figura.

Priusquam quae huc pertinent Mortis figuras accuratius examinabo, de Somni figuris natura Thanato cognati exponendum est, non solum quia multo diluci-

1) Welck. alt. Denkm. V. pg. 29 sq.

dius in eis cernitur Zoegae error, sed etiam quia ex eis maxime, quarum cum Thanato similitudo tam saepe memoriae proditur ad Thanati formam penitus cognoscendam indicia erui posse non inepte certe aliquis coniiciat.

Qua quidem forma Somnus ab artificibus fictus sit, non pluribus veterum testimoniis proditur quam qua Thanatus. Esse autem fictum eumque satis crebro, vel Pausania auctore constat [1]). Quae enim erat oraculorum per somnum editorum frequentia [2]), Somni figuram in Aesculapii maxime templis saepenumero collocari oportebat. Et de Somni figura in Cypseli cista repraesentata nec non de Somno Spartano ad ea quae de Thanato ibidem repraesentato supra disputavi provocare licet; non secus etiam Somnum in vasis ad Sarpedonem pertinentibus conspicuum non certam ac stabilem illius exhibere figuram sed nonnisi verba Homerica illustrandi studio deberi censeo. Somnum denique, quem Iahnius in Alcyonei repraesentatione extare vult, iam supra Kerem esse suspicatus sum. Insignem Somni vere Graeci formam eam dixerim, quam saepius imitando repetitam eximie refert statua illa Madridensis [3]); unde hanc fere Somni

1) P. II 31, 5. II 10, 2. bis. III 18, 1. V 18, 1.

2) Welcker kl. Schr. III pg. 93 sq. 96. cf. Gruter LXXX.

3) Madridensis, Clar. IV 666 c n. 1512 = Gerhard arch. Z. 1862 tf. 107, Florentini duo quorum alter pbl. j. f. Gall. di Fir. IV 138 = arch. Z. l. l. 108, 1 = M-W. II 70 n. 876, Vindobonenses duo, quorum alter pbl. j. f. arch. Z. l. l. 108, 2. De altero Jahn Ber. d. sächs. G. 1853 pg. 142 et 152. Lugdunenses duo, unus Viennensis cf. Benndorf arch. Anz. 1864 pg. 303. Caput aereum mon. ed. annali 1856 tv. III.

In anaglyphis: a) Jahn arch. Zeit 1860 tf. 141, b) Sculture della villa Borghese I Stanza II 15 = Clar. II 222 n. 58 c) = arch. Z. l. l. 109, 2. cf. Zoega br. II 210. c) Campo Santo di Pisa tv. 63 = Arch. Z. l. l. 109, 1.

Ad Somnum Madridensem Jahnius (arch Zeit. 1863 pg. 29) figuram retulit quam in anaglypho (Winckelm. mon. in. tv. 27 n. 2) Venus cum Marte deprehensa aufugientem frustra retinere studet.

Figura in opere musivo S. Bartoli sepolcri 59, quam etiam Boettigerus Kunstmyth. II 537 Somnum esse voluit. Ciampinius (ed. anno

imaginem animo informes. Iuvenis est Mercurio corpore gracili et molli eodemque paullo astrictiore similis, ita ut a posteriorum Somnorum effeminata mollitie satis alienus sit. Pedis sinistri pleno gradu tendit, corpore capiteque pronis. Dextram, quae cornu papavere refertum gestat, porrigit tamquam soporem mortalibus effusurus. Sinistro manu fruticem papaveris tenet. Tempora alis duabus amplis praeteguntur, quarum radices nullis crinibus a fronte disiunguntur, id quod in Mercurio secus est. Crines alis repressi supra tempora singulis nodis substricti sunt, ex quibus cincinni defluunt, in cervice in magnum plenumque nodum coacti sunt, ut ab hominibus dormituris factum esse suspiceris. Os tenerum ac molle est, a crassitudine tamen abhorret. Quod lene subridet Gerhardius quidem ad lenem Somni naturam rettulit, at artis priscae vestigium illud esse veri dissimile certe non est. Florentina enim figura aerea haud dubias artis priscae notas praefert, quadratae scilicet formae duritiem et crurum brevitatem, praeterea crines accurate et aequabiliter compositi sunt, ex temporibus singuli illi cincinni aequabiliter torti defluunt. Cum vero etiam Somnus Madridensis acerbitatis cuiusdam vestigia servaverit [1]) haud temere coniicias, Florentinam figuram ad archetypum proprius quam ceteras accedere. Quamquam tum demum confidenter iudicium ferri poterit, ubi quae publici iuris nondum factae sunt quinque figurae plene erunt exploratae.

Aereum vero fuisse archetypum eleganter docuit Gerhardius l. l. Et mihi quidem figura proprie Mercurius somnifer videtur fuisse, cui rei testimonio sit gemma supra laudata.

1690) I 32, 3 cum delinearet figuram, deerat dextra cum cornu; a Bartolio tamen (ed. a. 1697) etiam tum visam esse puto, nam qui facem cornu illud esse voluit a se ipso inventae ac suppletae propriam formam dedisset

cf. Mercurium somniferum in gemma M-W. II 29 n. 328.

1) Consecutit Huebnerus Madrid. Mus. pg. 56.

Quamquam advertendum est quanto ampliores temporibus eius quam vulgaris Mercurii alae affixae sint. Fuerunt qui alis illis quae animi in somniis est volubilitatem significari vellent [1]; an potius effici illis voluit artifex, ut frons oculique atque quae in illis sedem habent cogitationes somno quasi mulceantur et inumbrentur? [2] Ceterum omnes figurae elegantias in posterioris aetatis anaglyphis magnam partem disparuisse, nemo miretur.

Quodsi Zoega apud Homerum ceterosque poetas certe Somnum mere somniferum, 'activum' esse contendit [3] errasse eum puto. Etenim vel apud Homerum [4], ad cuius Somnum provocat, Mercurius potissimum, qui in orcum animas ducit, idem somnifer deus est. Somnus autem qui Sarpedonis corpus aufert nec non qui ad Iovem sopiendum ab Iunone adsciscitur, prosopopoeia ortus est; quam enim Iuno illi pollicetur sella quieti aptissima [5], passivae potius quam dicit Zoega naturae indicium praebeat [6]; nihilo secius tamen deorum hominumque appellatur dominus (v. 233) [7]. Si vero afferenda sint ad Somnum Madridensem illustrandum poetae cuiuspiam

---

1) cf. Jahn arch. Beitr. 55 adn. 10

2) cf. Ovid. metam. VIII 823: lenis adhuc somnus placidis Erysichthona pennis mulcebat . . . — Sil. Pun. X 344: nec posco ut mollibus alis des victum mihi Somne Iovem. — Sil. Pun. X 355: . . . quatit inde soporas devexo capiti pennas oculisque quietem irrorat tangens lethaea tempora virga. — Propert. I, 3: dum me iucundis lapsam sopor impulit alis. — cf. Zoega br. II 208.

3) br II 203: 'il datore del sonno non dormente veniva ideato nè sonnolento.'

4) Il. XXIV 343, 445. Od. V 47—48, Od. XXIV 2—3. cf. Plutarch. symposiac. VII 9. — Lobeck Aiax v. 832. Eustath. ad Il. l. l.

5) cf. mollem Somni sellam Ovid. metam. XI 610.

6) Eustath. ad Il. 982, 42 et 983, 9: *ὥστε διττὸς ὁ ὕπνος ὁ μὲν ὡς κύριον ὄνομα καὶ ὡς ποιοῦν, ὁ δὲ ὡς ἐνέγρημα ὑπ' αὐτοῦ ποιούμενον.*

7) Qua in re enarranda Homerum facetiis et ioco usum esse censet Welckerus Goetterl. 1783.

verba, non inepte laudes Hesiodum de Somno altero Noctis filio haec canentem Theog. vv. 762—63:

τῶν ἕτερος μὲν γῆν τε καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
ἥσυχος ἀνστρέφεται καὶ μείλιχος ἀνθρώποισιν . . .

Graeci illius Somni quae erat somnifera natura etiam atque etiam magis evanescit; etsi enim quae in Romanorum sarcophagis Endymionis[1]) maxime et Ariadnae repraesentationibus adiicitur Somni figura cornu et papavera somnifera gestat: agendi tamen vix ei relinquitur locus[2]). Nihil est nisi somni quo Endymion vel Ariadna tenetur prosopopoeia. Repraesentatur autem sive nudus sive alatus, sive senex mollis sive iuvenis effeminatus, varii generis alis instructus, sive dormientem gremio tenens sive adstans ei sive muro ex parte occultus, qua de re egit Zoega br. II 201 sq. Non igitur magis activum somniferumque dixerim illum, quam veneficam veneni illam prosopopoeiam, quae in sarcophagis ad Medeam pertinentibus conspicitur.

Easdem autem partes Somnus Madridensis in anaglyphis quibusdam imitatione expressus agit; licet enim eis parum accommodata sint concitati corporis motus agendique studium neque desint viri docti qui graviorem ei vim attribuant, fortuito tamen atque inepte artifices nobilem illam Somni figuram adhibuisse malim. Atque sicut Somnus ille Endymioni in sacrophago adiectus (c) omni graviore vi destituitur et eundem quem reliquae Somni figurae in similibus anaglyphis usurpatae obtinet locum, ita etiam Somnus Madridensi similis in Fabullae monumento repraesentatus (b) nonnisi ad mulieris dormientis soporem illustrandum

---

1) Jahn arch. Beitr. pg 54 sq.

2) Quem Somnum esse voluit puerum Zoega br. II pg. 157 in tabula 57, qui Panem ab Hermaphrodito retinet, parvum Faunum esse puto, qui a Pane impediri non vult, quominus ludibrii causa liquorem in domientis caput efundat. Protervo certe Pani fauturus erat Somnus. — cf. br. II pg. 212 et II tv. 72.

valet. Ad caput dormientis enim mulieris ille adstat, infimum ad lectum adstat Cupido, qui virum vestitum in rupe prope sedentem manu sublata ad sese appropinquare iubet, iuxta feminam fragmenta pueri extant, quem male expressum Cupidinem vestem mulieri detrahentem eoque modo et ipsum virum illum allicientem equidem putaverim, quae repraesentatio similis est Ariadnae dormienti ad quam Dionysum Cupidines adducunt, vel Rheae Silviae, cui Mars appropinquat. Quamquam neutrum istorum nominum mulieri illi attribuerim.

Gerhardius (l. l. pg. 225) certe, qui Sopore letali in domum tranquillam atque felicem irrumpente uxorem abripi censet, vel eo refellitur, quod cur maritus seorsum in rupe versetur non perspicitur. Neque Zoegae suspitio Mercurium psychopompum illum esse habet quo commendetur[1]). Quare funebrem vim in Somno illo plane desidero. Rectius sane mortis significationem viri docti indagarunt in Somno cippi illius (a), in cuius altera parte Bacchus cum Ariadna exhibetur. Atque Iahnius altera cippi imagine adhibita, mortem tamquam somnum ex crapula dulci captum repraesentari iure affirmat.

Quodsi igitur in anaglyphis modo enarratis somnifera vis valde negligitur, in multis aliis monumentis Somnus ipsius dormientis imagine exprimitur.[2]) Inter quae non ita facile explicantur pueri alati qui et Cupidinis arma et Somni papavera gestant,[3]) dum in Herculis clava et pelle leonina dormiunt. Non raro sane in monumentis occurrit Cupido cum spoliis Herculi detractis.[4]) Hic autem praeterea ad somni notionem transfertur sicut

1) br. II 214. Universa Zoegae descriptio ab imagine discrepare videtur.

2) cf. P-Cl. I 28, Zoega br. II tv. 93 = M-W. II 70 n. 874, Clar. 762 n. 1860a = M-W. ib. 877.

3) cf. Clar. pl. 761, 761 B etc.—Zoega br. II 205: 'il vincitore d'Ercole esse vincto da Ipno.'

4) Clar. pl. 128 n. 1477 u. 78, pl. 650 A n. 1478 B, pl. 650 D n. 1477 A et C.

apud Homerum εὐνὴ καὶ φιλότης verba sollemniter iunguntur; illustres forsan repraesentationem illam eiusdem poetae verbis ὕπνῳ καὶ φιλότητι δαμείς. Immerito profecto Panofka aliique Herculem Somnialem adhibuerunt[1]) Tam profundus autem Cupidinis sopor est, ut lacerta et lepores bestiolae natura pavidissimae sine ullo timore securae circum iacentem illum versentur.[2])

Omnes igitur Somni figuras illas a sopore aeterno seiungere licet. Atque quamvis facile comparentur Somnus et Mors, populus tamen vere artifex ad ipsas discrepantias quamvis subtiles animum intendat necesse est.

Ceterum Graecis non defuisse puto, qua passivam Zoega mortem repraesentarent: adolescentem dico sarcophagi Musei Pio-Clementini,[3]) qua figura iam Viscontius mortuorum quietem expressam esse voluit. Wieselerus[4]) quidem figuris quae huc pertinent diligenter congestis Narcissi nomen iis indidit, consentiunt Welckerus[5]) et Friederichsius.[6]) Viscontii tamen et Zoega iudicium[7]) equidem has ob causas tuear. Repraesentatur adolescens quem lassitudine confectum omnis habitus declarat. Corpus eius tenerum gracileque arbori applicatur, caput leviter humerum versus demissum est, capilli languide prolixe pendent tenui corona redimiti, bracchium utrumque capiti imposuit, corpus alteri pedi innititur, est praeterea, ubi pedes inter se implicentur. Somniculose oculos in vacuum figit, molle et maestum subridet (Zoega br. II 213: *'tutta la sua positura esprime stanchezza, il volto lassitudine e tedio come quando l'uomo passando dal*

1) Terracott. pg. 89. — Plura invenias apud Steph. ausruh. Herc. pg. 125 adn. 1.

2) Hanc sententiam protulit Doicen Kunstbl. 1823 pg. 70. Priorum non paucas congessit Kékulé arch. Zeit. 1862 pg. 310.

3) P-Cl. VII 13.

4) Narziss Goetting. 1856.

5) rhein. Mus. 1854 pg. 282.

6) arch. Zeit. 1856 pg. 97.

7) br. II 213 adn 37. cf. Gerhard. ant. Bildw. 336.

lavoro al somno tuttora conserva una conscietà annebbiata'. In arboris trunco vestem accurate suspensam habet; humi interdum persona adiacet, quam Wieselerus Narcissi figuram ab ipso in aquarum speculo conspectam esse putat. — Quae si Narcissi esset figura, in aquam haud dubie iuvenis oculos figeret, quem praeter habitum nihil fere Narcisso tam est proprium, quo possit agnosci. Ut autem Wieselero (pg. 32) concedendum est, propter spatii angustias simulacrum ipsum intueri iuvenem non posse, ita qui est capitis habitus, nullo pacto in aqua quodvis simulacrum potest conspicere [1]). Ceterum Graeci ut solebant singulis quibusdam indiciis condicionem significare. quam universam repraesentare sive non potuerunt, sive noluerunt, si quidem Narcissi condicionem indicio aliquo erant significaturi, non simulacrum credo a plasticae artis natura abhorrens [2]), sed fontem potius significandum sumebant. Wieselerus porro quod arbori applicari iuvenem, arboremque etiam in certis Narcissi imaginibus inveniri advertit (pg. 29), id commemoro, ne cui omisisse videar. Vestem vero ex certo consilio suspensam esse ipse Wieselerus vidit; verum quod eodem illud spectare dicit quo Narcissum vestem pandentem, quo scilicet plenius corpus in aqua conspiciatur, equidem illi concedere non possum. Quod enim pandebat ille vestem, id Narcisso tam peculiare, tam aptum atque tam notum erat, ut quicunque

1) cf. arch. Zeit. II 399: Wieselerus ipse concedit: 'dass weder im Ausdruck noch in der Larve die Bespiegelung vom römischen Künstler verstanden und nachweisslich sei.'

2) Quamquam in anaglypho quodam, cuius gypseum exemplar Fridericus Matz amicus Parisiis vidit (école des beaux arts. Nro. 101), Narcissi imago quae in aqua conspicitur ipsa quoque per artem plasticam expressa est, eo tamen Wieseleri sententia non confirmatur. Nam qui arae illius rotundae anaglyphum sculpsit, eam Narcissi in rupe sedentis formam atque habitum imitatus est, quam in parietibus Pompeianis semel atque iterum pictam videmus. Nostra autem figura ita ad plasticae artis regulos, ex plastici artificis ingenio conformata est, ut pictori originem eam debere nemo contendere possit.

artifex in nudi Narcissi repraesentatione veste eius usurus erat, ita tantum uti deberet. Accedit quod adolescentis habitu ea significatur lassitudo, quam summam Graeci exprimere valebant, nam utrumque bracchium capiti impositum hoc uno exemplo exhibetur. Quam formam in una Narcissi fabula prodigius adhibituri non erant, cum praesertim ne satis quidem in Narcissum conveniat, Narcissum enim commotiorem quam languidiorem fingere intererat. Quodsi Wieselerus animi impetum lassitudine excipi affirmat, Sapphus exemplo [1]) satis demonstratur, eius maxime lassitudinis aptam repraesentationem Graecis in promptu fuisse. Lenis autem quam nostra figura praefert tranquillitas non Narcissi est, sed quietem significat quam mortuo sibi quisque exoptat. Iam solvuntur membra, universa quasi figura soporem capit, ex quo nunquam expergiscetur. Qua in re repraesentanda arti ultra progredi non licet nisi ad deformem mortui habitum fingendum delapsurae. Vitam velut vestem illam depositam habet. Iam acta est fabula, proiecta persona [2]).

Mulierem denique iacentem uni exemplari (Gerh. ant. Bildw. 93, 1) adiectam Terrae figuram habeam, ad quam iuvenis moribundi animum advertit puer alatus ipse cum face avolans.

γαῖα μὲν εἰς φάος ἦρε Σιβύρτιν, γαῖα δὲ κεύθει
σῶμα· πνοὴν δ' αἰθὴρ ἔλαβεν πάλιν ὅσπερ ἔδωκεν
πατρὶ δὲ σῷ καὶ μητρὶ λιπὼν λύπας ὑπ' ἀνάγκης
ᾦχον ἀναρπασθείς [3]) . . .

Zoegae sententiam [4]) his fere verbis Welckerus (l. l.) laudat: '*Er verstand das Ende des irdischen Lebens unter der Personification des Ausruhens am Ziele der Laufbahn; daher der Jüngling als ein Palästrit erscheine mit abgelegtem Gewande und bekränzt etc*'. — Certe a Graecorum

1) Welcker alt. Denkm. V tf. 10.
2) cf. Gerh. Prodr. 245. Welcker acad. Mus. pg. 29.
3) C. I. Gr. 1001.
4) cf. br. II 113.

cognitionibus viri illustrissimi sententia non abhorret, sepulcro in Smyrna insula reperto inscriptum est[1]:

τεσσαρακαίδεκ' ἔτη δόλιχον βιότου σταδιεύσας.

Tamen adolescentis formae et habitus molliores tenerioresque esse mihi videntur quam quae iuvenis palaestrici haberi possint.

Ceterum et puer et mulier a Romano aliquo interpolatore adiecti sunt figurae illi propter eximiam venustatem haud dubie Graecis vindicandae.

In eis quidem quae huc usque tractavimus monumentis Graecorum maxime artificum dilucida fingendi distinguendique ratio enarraturis certa suppeditabat vestigia: contra Romanorum monumentorum enarratio quam maxime in lubrico versatur, ut quae cogitationes parum distincte susceptas parum distincte exprimant.

Neque multo certiora ex libris colligas, quod in Romanis dubitandum semper est, utrum quid ipsorum ingenio proprium sit, an ex Graecis litteris translatum, an ex Graecae artis operibus contemplandis manarit. Et Virgilianam illam quae crinem abscindit Proserpinam ad Thanati Euripidei similitudinem expressam supra vidimus.

Tres tamen fortasse formas in universum spectantes discernere possumus. Quorum veterrimus est Orcus[2], Etruscorum Charunti[3]) tam similis ut haud dubie ipsorum Italorum ingenio tribuatur. Doctissime et uberrime Prellerus[4]) docuit Orcum semper populari cognitioni inhae-

1) Stephani mél. gr.-rom. pg. 412.

2) Servius ad Aen. VI 3: 'Orchus veteres dicebant.' Festi verba pg. 202: ab antiquis dictum 'Uragum' refelluntur a Prellero röm. Mythol. pg. 453 adn. 3.

3) cf. Gerhard. Goth. d. Etr. berl. Acad. 1845 pg. 572 adn. 198 tf. VI 6, M. I. d. I. II 6. — Ambrosch de Char. Etr. cap. I. — Urlichs bullet. 1839 pg. 43 sq.

4) l. l. pg. 453 et 454 adn. 1—7.

sisse et si modo picturae [1]) nobis servatae essent, quibus ille repraesentabatur, certe ab Etruscorum Charonte non discreparent. Malleus quoque iis non defuit. [2]). Quum autem Graecorum dei atque nova Graecorum nomina a Romanis reciperentur, misera quaedam perturbatio exorta est, cuius gravissima testimonia nimis adhuc neglecta Servius nobis suppeditat. Etruscorum enim deorum nomina, quae Romanis usitata fuisse constat, persimilia erant Graecis quibusdam: Charun Etruscus Charonti Graeco, Acherun fauces inferorum Etruscorum Graeco Acheronti fluvio. Quum homines litterati Graecorum Plutoni patrios substituerent deos vel Ditem patrem vel Orcum [3]), vulgus nominis sonu commotum Graecorum Charontem portitorem interdum Etrusco deo letifero aequabat [4]), ita ut Servius l. l. facere non possit, quin lectores doceat non Charontem esse Plutonem, sed Orcum. Inde quoque intelligi potest, cur tam foeda nonnulli poetae [5]) Charontem specie induerint.

De Acheronte auctem Servius haec habet [6]): 'Acheron fluvius dicitur inferorum . . . sed constat locum esse haud longe a Baiis undique montibus septum adeo ut nec orientem nec occidentem Solem possit aspicere, sed tantum medium . . . omnia vicina illic loca calidis et sulphuratis aquis scatent . . . necromantia vel sciomantia non nisi ibi poterant fieri, quae sine hominis occisione non fiebant.' — Inde igitur intelligendum est Virgilianum illud Aen. VII 312: 'Flectere si nequeo su-

---

1) Plaut. Capt. V 4, 1: 'Vidi ego multa saepe picta quae Acherunti fierent cruciamenta . . .'

2) cf. Tertullian. ad nat. I 10: . . . quod Ditis pater, Iovis frater, gladiatorum exsequias cum malleo deducit . . .

3) Cic. Verr. II 4, 50, 111: ut Verres alter Orcus . . . ipsam abripuisse Cererem videretur. Serv. ad Aen. VI 273: Nam Orcus idem est ac Pluton.

4) cf. Müller Etrusc. II 100.

5) Stat. Theb. XI 580 sq. alii.

6) ad Aen. VI 107.

peros, Acheronta movebo', inde Ennianum (pg. 102 Vahl) 'Acherunsia templa alta Orci salvete infera . . .' et alterum eiusdem poetae Iph. pg. 124: 'Acherontem nunc obibo, ubi Mortis thesauri obiacent'. Ad eandem rem pertinet quod extat apud Servium (ad. Aen. VIII 398)'. . . sed sciendum secundum artis aruspicinae libros et sacra Acherontia quae Tages composuisse dicitur, fata . . .' Codices genuinae nominis formae vestigia servaverunt, nam habent Regius 'aeruntia' Vos. Guelf I. 'acheruntia' alii 'aruntia'. — Acherun igitur nihil est quam sedes inferorum servaturque ei haec significatio, tamen cum Graecorum flumine interdum confunditur. Nec non a Prellero [1]). Errat vir doctus qui libros illos Acheronticos, sacra Acherontia et alias res a Graecorum flumine nomen accepisse voluit.

Praeterea Romani voce 'mortis' usi deam Mortem sibi paraverunt [2]) quae non certiorem indolem habet quam cetera id genus numina. Cognitum est Horatianus [3]) ille locus ubi Orci nigrae alae [4]) ei dantur, nisi soli poetarum dicendi generi debentur. Cuius deae una nobis relicta est figura in anaglypho Romano [5]), quod hominis creationem et finem exbibet. Femina est mortuo adstans ample vestita velato capite, certis insignibus non distincta. Plures invenire non contigit [6]).

---

1) röm. Myth. pg. 461. adn. 4.

2) cf. Servius ad. Aen. XI 197: 'mactantur corpora Morti' aut in mortem aut Morti ipsi deae. Stat. Theb. IV 528: 'in scopulis Mors saeva sedet.' Lucanus VI 600. Horat. Od. III 2, 14. etc.

3) Hor. Sat. II 1, 57 'seu Mors atris circumvolat alis.'

4) Gratian. Cyneg 347: '. . . Orcus pascitur et nigris orbem circumsonat alis.'

5) mus. Capit. IV 25 = M-W. II 838a. cf. Jahn annal. 1847 pg. 306 ff. — Welcker acad. Kunstm. pg. 60. — Gerhard Prodr. pg. 251. — Zoega br. II 217.

6) licet in anaglypho Clar. 216 n. 768 quod idem refert archetypum. In anaglypho Mus. Veron. 420 feminam, quam Gerhardius (l. l.) Mortem esse voluit, anum maerentem habuerim.

Denique Graecorum deis usi sunt Romani velut Plutone qui Proserpinam abripit, et Charonte qui cymbam depellit. Quemadmodum Plutonis et mythi illius genuina natura oblitterata patrium modo Orcum eum habuerint, enucleari iam non potest.

Ad artis aliquod opus qui ad nos pervenerunt loci referri non possunt, ne Statii quidem verba illa [1]: 'nullaque ei tristis imago'; nam cum in fabulosa Somni regia describenda omnia venustissima esse oporteat, venusta Morti quoque species tribuatur necesse est. Id potius loco illo probetur, fuisse imagines tristes.

Certam igitur atque stabilem dei mortiferi figuram indagare mihi non contigit. Scilicet in monumentis sepulcralibus diversos in modos mortem in bonam partem verti videmus, licet venusta valere sese iubentium repraesentatio, qualis Graecis est usitata, iam submota fere sit atque accedant signa quaedam quibus excidium significetur. At etiam aves illae et lacertae, quae fruges decarpunt et papiliones captant [2], usu tam sunt detritae, ut non solum in monumentis sepulcralibus sed etiam in ornamentis [3]) passim adhibeantur [4].

Iam restat ut de alato illo puero faci innixo quaeramus, non tam propter ipsius argumenti gravitatem

1) Theb. X 105.

2) cf. ancient marbl. V pl. 4, 1 et 2 etc

3) Zahn. schönst. Wandgem. u. Orn. II 18.

4) Apud Graecos bestiolae captantes atque etiam papiliones illi nusquam comparent, in ingenti stelarum numero duas tantum indigavi, in quibus animalium corpora quaelibet ornamentis interposita sint. (1) Stuart et Rewett antiq. of Ath. VI pl. 9 ubi cervi adhibiti sunt. 2) Ephemeris 1838 tb. 58 stele avibus ornata). In una quidem (ancient marbl. IX tb. 30, 2 = Dodwell trav. I 466.) papilio exstat, sed hunc a barbara Romani manu adiectum esse equidem censeo; Graeci enim nomen recta elegantique scriptura expressum rudi modo deletum est, superior autem lapidis pars curvis novi nominis litteris inscriptum est, papilio denique uvae insidens inepte ei loco agglutinatus est, quem Graeci olim ornamentum palmatum obtinebat.

quam propter tot virorum doctorum quaestiones certatim de eo institutas.

Arti vero Romanae eum vindico, cum in Graecorum monumentis eius figuram indagare mihi quidem non contigerit [1]; atque omnes sarcophagorum pueros alatos Romanis tribuendos esse docuit Stephanius [2]).

Et id iam supra monui modo Mortem illum esse habitum modo Somnum, nunc simpliciter Amorem nunc Amorem recondita vi praeditum. Plerique autem interpretes, opinor, quod prorsus singulare graveque veterum ingenii inventum illum esse volebant, nimiam ei auctoritatem attribuerunt. Equidem puto examinandum eum esse una cum illis pueris alatis, quibus coniunctus invenitur [3]), quibus idem saepe atque ipsi in sarcophagis datur locus. Quare primum quid sibi velint pueri alati — hoc nomine ne ipsam rem praeoccupem nuncupare eos liceat — universe generatimque exploremus. Genios illos esse iam nemo opinor contendat, quantopere tamen fere abutantur eo nomine et Zoega [4]) monuit et Stephanius [5]) prolixe exposuit. Primum vero virorum de puerorum natura praecipuae sententiae sua quaeque vi ac ratione inventae proponendae sunt [6]).

Et Stephanius [7]) quidem a Romanis infantium usum artificiosius inventum esse affirmat, quo sensus obsoletarum imaginum et formarum fastidiosi nova quadam voluptate titillarentur. Quae quo magis augeretur, etiam Amoris et Psychae figuras esse adhibitas. — Jahnius [8])

---

1) Unam id genus figuram Athenis repertam Schoellius postremis temporibus tribuit cf. arch. Mittheil. No. 113. cf. pg. 112. — In Graecia fortasse reperta sunt monumenta Mus Nannian. 196, 197.

2) ausruh. Herc. pg. 93 adn. 4.

3) cf. Herder l. l. pg. 297.

4) br. II 185.

5) ausruh. Herc. pg. 98.

6) cf. Zoega br. II 160 et 198 Visconti P-Cl. IV 27.

7) l. l. pg. 93 sq.

8) arch. Beitr. V.

contra esse Cupidines contendit, quibus paullatim eiusmodi negotia dare assueverint, a quibus ipsa eorum natura proprie aliena sit, quatenus igitur fieri possit Amorem Psychamque agnoscendos esse. Tertio loco Schoemannus[1]) id tantum veteres studuisse censet, ut vulgari rei formam pararent venustam eamque supra res humanas paullum elatam, qua negotia operaeque ludi speciei accommodarentur, neque Amorum igitur neque geniorum eis in mentem venisse.

Diligenter sane Stephanius disseruit, quosnam fructus ex puerorum formis adhibitis artifices perceperint. Mirum tamen accidisset, si post tot Cupidines toties ludentium specie repraesentatos pueri ludentes novo quodam invento nati essent, deinde pristini Cupidines repetiti cum illis essent confusi. Nisi igitur quasi saltuatim artem res ac formas modo hinc modo illinc mutuatam esse mavis, Jahnii rationem sequaris necesse est. Non enim dubito, quin ipsorum Cupidinum venustas tenera puerorum corpora adhibendi ansam praebuerit. Attamen cum Schoemanno artifices pulchras tantum corporum formas spectasse et quid olim Cupidines sibi voluissent nihil curasse putaverim. Quare nil refert num alas habeant nec ne. Quodsi Cupidinum forma legitima tantopere abusi sunt, eas quoque imagines, in quibus ipse Cupido repraesentandus erat, sat incertas et ambiguas evadere oportuit, ita ut qui singillatim omnia enucleare student non raro operam perdant.

Et ego quidem plus etiam quam Schoemannus de puerorum alatorum auctoritate detraxerim. Quos enim fructus ex formarum puerilium usu Romani perceperint constare puto, id vero affirmare non dubito ex artis quadam imbecillitate et formarum inopia usum illum ortum esse. Sunt enim quasi notae, quibus agi aliquid significetur. Ubi serta sustinent, quibus vel sarcophagi vel arae vel aedificia redimita sunt clavorum loco ac numero

---

1) Ansichten über die Genien, Winckelmannsprogr. Greifswald 1845.

sunt. Ubi sarcophagorum tabulam inscriptam sustinent, non maiores id tenendum est, quam si mensarum pedes unguibus instruuntur. Atque sicut manus in nostratium diariis lectorum animos ad rem aliquam advertunt neque cuiquam, cuius sint manus eae, quaerere in mentem venit, ita quaerendum omnino non est, quae sit remotior vis pueris illis alatis qui in sarcophagis monstrant vel adeunt sive tabulam, quae mortui nomine inscripta est, sive Orci ianuam sive quidvis aliud. Eiusmodi igitur puer nihil est nisi commune humani corporis schema neque quidquam interest pristini Cupidinis formam eum praeferre. Illa enim propter solam venustatem adhibita est neque magis archetypi vim servat quam Victoriae notissimae ad Veneris Meliae et Spes ad antiquae Veneris exempla fictae. Ex ipsa igitur forma, licet ad Cupidinis similitudinem facta sit, ad enarrandam imaginem nihil redundat, neque a quibus agatur, sed quid agatur quoque loco quaerendum est. Velut si veris aestatis etc. insignibus pueri alati instructi sunt, ipsum ver aestas etc. repraesentantur; si pugnant illi, pugna est ipsa quae repraesentatur; ubi curriculo vehuntur, ipsum repraesentatur certamen circense: ubi facibus erectis instructi in sarcophagis adstant, erectas faces adhibiturus erat artifex; sicut alias faces finguntur nemine sustinente, ita hoc loco pueris sustinendae traditae sunt — Ad eandem rationem puerum illum facem eversam tenentem equidem revocaverim. Quod ad pueri huius habitum attinet, nudus semper est, plerumque pedes inter se implicati sunt, humero infimo faci innititur, manum modo summae faci modo humero imponit, capite in eundem humerum demisso. Manu non raro coronam tenet, quam ad mortuos coronis ornandos referre velim[1]). Et f a x quidem e v e r s a dilucidum ac simplex extincti-

1) Zoega br. II 216: 'riposo dopo ben regolato convito allorchè di più in mano tiene la ghirlanda'. — Steph aur. Hercul. pg. 35 idem fere censet ac Zoega.

onis signum est Velut Narcissi imagini interdum adiectus est Cupido facem extinguens [1]), in lucerna duo pueri alati Orci portam monstrantes faces extinguunt [2]), in alia iuxta Amorem a Psycha discedentem eversa fax invenitur [3]). Eodem modo ab Hespero evertitur fax, Lunaeque cadenti eversae faces adduntur [4]). Dormiens quoque Philostrati Comus [5]) eversam facem tenet, eversam facem Amor Medeae adstans, quae frustra Iasonem amare sibi videtur [6]). In cippo quodam Romano super urnam faces duae eversae decussatim appositae conspiciuntur, ab utraque parte fractus adiectus est arcus [7]).

Fax quidem ipsa inter stabilia et certa unius dei insignia numerari non potest, eversa autem fax quid sibi velit dubium esse non potest. De universo autem pueri habitu Zoegae potissimum verbis utar (br. II 216) '*penso che essa la morte adombri come un placido riposo dopo la compita giornata simboleggiata dall' inversa torcia* . . .

Itaque singuli adhibeantur an bini, neminis interest nisi artificis figuras apte disponentis. Illud utique tenendum est, non exemptum illum e ceterorum societate sed nonnisi una cum ceteris examinandum esse.

Quum autem omnes illos pueros a Cupidinibus formas mutuatos esse concedendum sit, tum id quoque non miremur, quod ad diversos puerorum alatorum habitus fingendos pristini Amoris formis iam ad certam atque

1) Pitture d'Ercol. VII 127 = Ternite 25, P. d'Erc. VII 139, bull. arch. nap. III 33, Zahn sch. Wandgem. III 65. cf. Wieseler Narziss n. 1 et 2.

2) Passer. lucern. III 45.

3) St. Bartoli lucern. 7. cf. Ancient stat. at Felix-Hall tb. 4 = Gerh. a. B. 36.

4) Winckelm. mon. ined. 21 = Clar. 170 n. 214 = M-W. II 17 n. 190.

5) imag. II.

6) Phil. jun. VII cf. Welcker adnot. pg. 621. — Eodem modo Amor enarrato similis adhibitus est apud Phaedram in anaglypho Clar. 213 n. 28.

7) Montfauc. V 65.

stabilem habitum excultis usi sint posteriorum temporum artifices. Equidem plane non dubito, quin puer ille eversa face demisso capite implicatis pedibus insignis a nobili aliquo artis opere originem ducat, quo nihil nisi Amor luctu affectus repraesentabatur [1]). Cuius Amoris propriam naturam inter tot pueros alatos servatam esse negaverim.

Tamen non ambigam, quin ex certo artificis consilio eadem figura interdum significantior esse possit. Cuius rei splendidissimum exemplum docuit Iahnius in enarrando sacrophago ad fabulam Prometheam spectante de quo iam supra diximus [2]). Cuius monumenti altera pars hominem a Prometheo fictum exhibet, adstat Minerva papilionem modo ficti capiti imponens, adstat praeterea Amor Psycham amplexus. Ex altera parte hominis exitus illustratur, mortui corpori adstat Mors, de qua iam supra dictum est. Praeterea Amor eversam tenens facem demisso vultu mortuum intuetur. Faci adhaeret papilio, Psycha a Mercurio abducitur. Quae inter utramque partem intercedat contrariorum oppositio elegantissime Iahnius docet cuius ipsa verba haec sunt:

'*Eros weckt mit seinem Kusse das schlummernde Leben der Seele und wie die Liebe der edelste und mächtigste Trieb ist, welcher alle Kräfte der Seele erregt, so wird Eros in seiner Vereinigung mit Psyche das Symbol des geistigen Lebens in glücklicher Entfaltung seiner Kräfte. Ist aber Psyche ihm entführt, so trauert er um ihren Verlust, er senkt die Fackel, die er einst gegen sie richtete, und durch diese Beziehung auf die ihm entrissene Psyche wird er zum Todesgott.*'

Quae etsi per se spectata certissima sunt, dubitare tamen licet, num ad omnes pueros alatos eversa face

---

1) Pulcherrimum signum publici iuris factum est. Gall. di Fir. II 1, 67 = Clar. IV 651 n. 1484. cf. marmora Oxoniens. tb. 15 = Clar. 650 b n. 1504A, P-Cl. III 45, - In moneta Dorylaci: Sestini descript. num. veter. pg. 462 tb. XI 2, quod docuit Zoega br. II 214.

2) cf. arch. Beitr. 169 sq

instructos enarrandos ea adhiberi possint. Sarcophagus enim ultimis artis veteris temporibus debetur; atque quae in seiunctis papilionis et Psychae notionibus cernuntur argutiae, a reliquarum repraesentationum simplicitate abhorrent, inde vero etiam rationem inter Amorem et Psycham intercedentem leviter immutatam et philosophorum cogitationibus accommodatam esse suspiceris Quae figurae si ad graviora exprimenda interdum adhibebantur, etiam pueri alati nostri notissima figura Amoris lugentis locum recuperare poterat. Itaque Iahnii de sarcophago Prometheo disputatione illud tantum demonstratum esse censeo, hoc sane loco in eam sententiam puerum esse adhibitum, contra ab animo impetrare non possum, ut sexcentos illos sarcophagorum pueros alatos eversa face insignes e reliquorum numero eximendos et graviore vi praeditos ad Psycham amissam referendos esse credam.

Qua in re etiam illud nos impedit quod in cippo notissimo eadem figura definite Somno vindicatur [1]. Quamquam propriam stabilemque eam Somni figura non esse post ea quae de Somno supra disserui exponere non opus est. Qua scilicet aetate Somnus iuvenis dormientis formam praeferebat, ad repraesentandum eum cognatus ille puer facile adhibitus est

Quodsi igitur concedendum est pueros illos ex Amoris figura originem duxisse semperque Amoris similitudinem prae se tulisse, mirum certe non est, quod etiam insignia Amoris illi interdum mutuati sunt. Non enim raro pharetra iuxta suspensa est, arcus humi iacet vel etiam fractus est, quo luculentius exitus imago adumbretur [2])

---

1) 'Somno Orestilia filia.' Zoega br. I tv. 15. = M-W. II 70 n. 875.

1) Ovid. eleg. III 9 de morte Tibulli:

'ecce puer Veneris fert eversamque pharetram
et fractas moerens et sine luce faces.'

Ex his versibus, qui ad carminum amatoriorum poetam pertinerent, puerum illum Amorem esse, probari non posse iam vidit Galeotti mus. Odescalch. II 18.

Quantopere autem omnes notiones permisceantur ac confundantur, documento sit sepulcri tympanum [1]) in quo conspiciuntur Amoris pharetra et arcus, Somni cornu Fortunae rota, fax ardens alia quae iam non satis dignoscere possum.

Quaecunque huc usque disputavi ea satis declarant me eorum sententiam probare non posse, qui geminatis pueris alatis remotiorem vim attribuunt. Neque igitur Gerhardius [2]) de duplici Amore, quem cuique homini vindicat, mihi persuasit, neque a Stephanio [3]) veterem Lessingii sententiam, ex qua Mors et Somnus illi sunt, firmatam esse censeo; cum enim Lessingius discrepantias ab accurate inquirentibus iuventum iri speret, Stephanius ipsam plenam similitudinem quam maxime ex artificis consilio effectam putat, ut qua nullo inter Mortem et Somnum discrimine animadverso spectantes solatio afficiantur.

Ceterum, cum pueris alatis usque quaque uterentur, fieri sane poterat, ut quid sentirent de animarum post mortem condicione iis figuris illustrarent [4]). Quam ad rem praecipue attendit Gerhardius. At id explicandi genus tam in lubrico versatur, ut sequi illum equidem non audeam. Quare ex monumentorum numero, quae huc spectantia nuper publici iuris fecit vir doctus [5]), eam tantum gemmam paucis attingam, in qua puer alatus pedibus inter se implicatis repraesentatur. Iuxta fax est, manibus ex Gerhardi sententia coronam capiti imponit. Amorem igitur victorem de morte referentem dicit eum editor. At ego quidem illum manibus posteriori capitis parti

1) Clar. 159 n. 507.

2) Gerhard Prodr. pg. 247, 264 alias.

3) ausr. Herc. pg. 29.

4) cf. testimonium luculentissimum arch. Anz. 1864 pg. 253: comprehenditur a duobus pueris alatis papilio operculo replicato ex sarcophago effugiens.

5) Gerhard Amor u. Psyche mit Todesbezug arch. Zeit. 1848 pg. 33 ff. — cf. tf XXII n. 3.

applicatis dormire malim; nam quo tandem pacto, qui est pueri habitus, corona imponatur? Ceterum gemmae imago sat negligenter facta est, nam fax panno instructa, quo commodius humero supponatur, inepte seorsum apposita est. Haec igitur gemma novas luces nullas affert quaestioni longius quam voluerim tractatae.

Iam propositum finem assecuto hoc affirmare licebit et Graecos et Romanos Thanati vel Mortis figuram nisi singulari ex consilio non repraesentavisse. Singularia autem illa nimis premenda non sunt. Immo vero, quod licuit Mortis figuram repraesentare, neque tamen saepius illa invenitur, id ipsum luculentissime docet, veteres a Mortis figura repraesentanda abhorruisse.

VITA.

Natus sum *Julius Lessing* Sedini die XX mensis Sept. anno h. s. XLIII patre *Alberto*, quem praematura mors mihi eripuit, matre *Johanna* e gente *Baumann*, quam adhuc viventem pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum iudaicae. In gymnasium patriae urbis receptus, quod *Hasselbachio*, *Petero*, *Heidemannio* vv. ill. moderantibus fiorebat floretque, institutione usus sum cum aliorum tum *Giesebrechtii*, *Schmidtii*, *Calowii*, *Stahrii* fructuosissima. Anuo h. s. LXI maturitatis testimonio instructus universitatem adii Berolinensem cuius per septem semestria civis prodocentes audivi: *Boekhium*, *Droysenium*, *Friederichsium*, *Gerhardium*, *Guhlium*, *Hauptium*, *Müllenhofium*, *Raumerium*, *Steinthalium*, *Trendelenburgium*, *Werderium*. — Deinde Bonnam mc contuli ibique per bis sex menses scholas frequentavi virorum doctissimorum: *Jahnii*, *Ritschelii*, *Springeri* atque seminario archaeologico sodalis ordinarius adscriptus sum *O. Jahnio* v. d. duce.

Quibus viris omnibus gratam piamque memoriam semper servabo, primariam autem *Friederichsio* Berolinensi *Jahnio* et *Springero* Bonnensibus qui studia mea et publica et privata disciplina benevolentissime adiuverunt.

Sententiae controversae.

I. *Pausan. lib. X cp. 24 § 4 extr. ante ἐς δὲ τ[…] νάου ponenda esse puto verba cp. 16 § 2 'τὸν ὑπὸ Δελφῶν καλουμένον ὄμφαλόν σφισιν ἐποίησεν.'*

II. *Plin. lib. XXXIV 7,44 scribendum esse videtu[…] 'habent in eodem Capitolio admirationem ... mini[…]* im*probabilis videatur'.*

III. *Euripid. Alcest. vv. 782—786 N. ut exitus aeq[…] bilitate coniuncti vulgi quasdam sententias viden[…] exhibere.*

IV. *Picturis vasorum fictilium Gerhard auserl. Vas[…] 55 et Mus. Gregor. II tv 39,1 repraesentatur Bacc[…] Euneum et Thoantem (Nebrophonum, Deiphilum) H[…] sipylae libros aurea vite donans, cf. Micali sto[…] 85,1, Gerh. auserl. Vas I 56.*

V. *Amoris Agonii signum Atticum extare puto in n[…] netis Atheniensium (Beulé monn. d'Ath. pg. 222), […] anaglyphis Gall. Giust. II tv. 124, Gerhard ant. Bil[…] tf. 89. Cf. Athenäus XIII 561 D, Paus I 30 §[…]*

VI. *Ad Aristides picturam, quam laudat Plin[…] XXXV 89: 'oppido capto ad matris morie[…] volnere mammam adrepens infans etc.' referenda […] anaglyphi figura Gall. Giust. II tv. 15.*

VII. *Saltatrix Pompeiana (Pitture di Ercolano III tv. […] pg. 143) ad nobile quoddam archetypum referen[…] est. Eadem enim repraesentatur et in vase fic[…] (Tischbein collect. I pl. 48=Müller-Wiesel. Denk[…] II 45 n. 564) et in anaglypho (Mus. Later[…] tv. 47 n. 2) et in gemma ante Dianae simulacr[…] saltans (Collection des pierres antiques de la cha[…] des Ss. trois rois mages à Cologne n. 109).*

VIII. *Materiae ratio habenda est, ut de artificis inge[…] vere iudicetur.*